


# PALAESTRA

# LATINA



ANN. XLII (FASC. II). — N. 218  
M. JUNIO — A. MCMLXXII

# P A L A E S T R A   L A T I N A

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

*Praeses:* J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.  
*Moderator:* Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.  
*Praecipui scriptores:* Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.<sup>o</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

---

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

## I N D E X

ANN. XLII (FASC. II). — N. 218  
M. JUNIO — A. MCMLXXII

H. DE FRANCO, <i>Zizzi</i> ... ... ... ... ... ... ... ... ... ... ... ... ... ... ... ... ...	49
TH. CIRESOLA, <i>Ostoria Chelidon</i> ... ... ... ... ... ... ... ... ... ...	59
J. M. MIR, <i>Ciceronis specimina — De Senectute III</i> ... ... ... ...	63
J. MARINELLI, <i>In Johannem XXIII Pontificem</i> ... ... ... ...	73
AE. ORTH, <i>De Servio (c. 400 p. Chr. n.)</i> ... ... ... ...	83
M. MOLINA, <i>Bibliographia</i> ... ... ... ... ... ... ... ... ...	89

P A L A E S T R A   L A T I N A  
L I T T E R A R U M   L A T I N A R U M   C O M M E N T A R I I  
A   S O C I I S   C L A R E T I A N I S   E D I T I

---

ANN. XLII (FASC. II). — N. 218

M. JUNIO

MCMLXXII

---

## Z I Z Z I

*Libellus altero praemio ornatus in Certamine Capitolo XIIII - MDCCCCLXIII.*

Dimidiata quaedam brevisque domi est mihi tigris, cui nomen est Zizzi, non invenusta quidem bestiola, fulva quodammmodo suffusculisque maculis conspersa atque lineis, quae segnis saepe et somniculos aademque agilis celerisque interdum appetet eundi, docilis autem ac ludibunda neque illepida, sed repente infida ac proterva neque immitis, continuo esuriens et famelica, at subito, nulla causa, fastidiens omnia...

Quid beluae est hoc, mehercule? Ecquid nominis, edepol, istud? quaesiverit quispiam, curiosulus ac vehementer miratus quod in nominum indice «Zizzi» non invenerit.

Quamvis simiolum meum vel lepusculum saepe vocitem blanditurus, nimirum felis est mas, nescio an similior potius Asiatico cuidam sit leopardo quam Africæ tigri, si perspicere volumus, ejusque nomen —quod inscius finxi atque excudi auctor— nihil prorsus significat, verbum omnino sensu carens cum sit: «Zizzi» equidem inter mellitas blanditias appellavi, ubi catulum quendam recepi modo natum, e manibus eruptum aliquot puerorum, qui misere felientem immites semel atque iterum in fonticulum cum demersissent per jocum ac ludum interimere nitebantur.

Ubi primum ipse felinum pullum misericors meam intromisi do-

mum, dominulum ingressum esse statim sensi atque intellexi: jam tum, mea fide, me ejus imperio subjectum esse patuit, siquidem mansueta illa bestiola exinde imperitavit mihi, qui inani ejus regendae spe deceptus eram.

Veluti cum hominum infantes acerrime vagiunt plorantque, si ubera praebere matres diu intermisere, ita misellus Zizzi, quem semianimum laneis pannulis foveram, acrioribus querellis vel potius jussis lacteum cibum reflagitat non desinebat.

Omnes mihi dictabant propinquai et sodales fore ut numquam diutinus superesset Zizzi, quippe qui a matris uberibus intempestive depulsus esset, irredebantque cum suppeditantem sedulo omnia necessaria catulo me spectarent. At, invitis iis qui talia praedixissent, superstes nec non vegetus ille crevit, lacte eo, quod saccharo conditum in vasculo ex lamna servatur, cum ego tantummodo aluissem.

Num ita censem, qui paginam legit meam, ubi Zizzi adolevit, minus a me esse ipsum adamatum? Minime vero, ut ego meminisse videor, cum ad multa ac mirifica, quae ad meum cattum impuberem et adultum spectant, animum ipse nunc intendo.

Quotiens ex lectulo prosilui nocturnus, repente expergefactus, vel interdiu vigil ex tablino advolavi, omnibus studiis negotiisve intermissis, si stridulas illas voces «mi... mi... stzi» auribus percepseram, vasculum praebiturus cum papilla lecti sugendo, quam ex medicamentario quodam cummeo instrumento, ad enumerandas stillas parato, quo catulus ille subrumaretur, daedala ratione ac sollertia institueram.

Saepissime amplexus, quasi infantulum cunis motis sopituras, misellum permulcebam, qui matris ubera blandimentaque expertus non esset, et molliter quiescentem ac stertentem in corbula stratum aspiciebam benignus, tamquam nutricula suavissime colens. Mox autem ubi expurgiscebatur, «mi... mi... stzi» voculas in me Zizzi edebat felix eique primum digitum praebebam adipimenti, acres incitans morsus, si ipsis Catulli verbis uti mihi licet, ejusque famem lacte vel molli caseolo sedulus sedabam, perdiligenter curans ut invalidus sensim invalesceret alumnus.

Quanta ego laetitia sum elatus ubi primum Zizzi, insiticius quidam mihi filius, incertis pedibus innixus totam per domum labans pavidusque coepit gradatim me sequi!

Ab artificioso ubere vix depulsus, apud me, omnibus horrescentibus, in cenatiuncula principem obtinuit locum Zizzi, cui inhianti esurientique exquisitissima quaeque ciborum frusta praebui quotidie, tamquam ex meo ipso ore eripiens, valde laetatus quod nihil epularum fastidiret ille, quippe qui plane omnivorus vel panem in vino intinctum nec non crustula comederet.

Nullum exinde denegare potui solacium petenti, quicum ipse ludere consuevi, haud secus ac si puerulus essem, seu pone armarium delitescens, seu ultra januam seu alibi, unde submissa voce ciebam quaeritantem, quoad circumspectans me inveniret abditum: ille autem fugiens ad ipsum requirendum invicem laetis tremoribus me hortabatur ludibundus... Pilam, qua luderet, tum emi, quam Zizzi libenter accepit, proclivem impigre persequens, ingenio suo gavisus, veluti si in refugientem murem invaderet pugnax.

Nempe, sunt qui hoc nihil assentiantur, quod fele quadam animi mollitus ac repuerascens quodammmodo ipse sodale convivaque ac lusorio pupulo usus sim.

Objurgationibus omnes et conviciis me porro consectetur licet: quod equidem facile patior, ejus felis petulantiam me unum effecisse ultro cum fatear sanus, siquidem ob nimiam ei indulsi benignitatem, in ipsius delictis semper conivens —neque hoc me pudet— ejusque ignoscens erroribus, nullo furore incensus si forte unguis exacuentem in supellectile mea deprehenderim, si omnia per jocum in mensula mea scriptoria exceperim miscentem, si nihil miratus vel potius iratus in meo dormitantem lectulo invenerim, si denique protervum et arrogantem factum esse et suis tantummodo inservientem commodis senserim securus, quin etiam laetus sum quod ad arripiendum cibum e manibus agilis in dorsum ipse scanderet meum.

Ecquid? Quamquam nullis vituperandis vitiis carere haud abnui eum, tamen nonnullas inesse meo Zizzi virtutes est mihi fatendum: nam ultra felinam ejus naturam fidelis ipse exstitit, siquidem domo me egredientem usque ad hortuli claustra ille deducere consuevit mihi que noctu redeunti obviam occurrere, tamquam alacer catellus, at in ignotos, horti semitam temere ingressos, impetum facere propulsandi causa («cave cattum haud catenarium!» in tabula affixa inscribere poteram...). Rursus, cum in omnes, vel ipsum permulcere conantes, sufflaret horridus, meas tantummodo Zizzi tolerabat injuriolas, quandoquidem imas ei auricolas caudamque vellebam incolumis, si terga ac vibrissas titillabam ei et eundem ipse per jocum sublime coniciebam, folliculi instar, cernuantemque in manus recipiebam interritum. Contra, impatiens prorsus objurgationum vel minarum, si quid sceleris invitus fecisset, in ejus, qui forte infensus reprehendisset, incauta crura aliquid —honorem praefor— lotii per contumeliam jecit, graviter decoreque abiens.

Quidam ex meis sodalibus olim cum dixisset, coram ipso Zizzi, illum cattum nihil esse putandum, quippe qui incallidus atque rudis esset venandi mures, raptim abiit —dices profecto hominum sermones eum plane intellexisse!— et extemplo rediit semianimem in ore ostentans musculum, quem ante pedes attoniti mei posuit sodalis,

quo argutius calumniam redargueret. Tamen, nihil in venando posthac perseveravit, cum pisciculi muribus potiores sibi essent.

\* \* \*

Parumper peregrinatus, ubi primum redii domum, mehercule!, tantum afuit ut felinum catulum agnoscerem, utpote qui interea adolevisset, pinguiculus quodammodo et pulchellus cum factus esset cattus. At ille, qui nullis acceptis meorum familiarium curis ac blanditiis me absentem plus nimio senserat, blandicule me recepit, prosternens se humi seque volutans et resupinus jacens ante pedes meos, quo melius mei studiosum se semper esse significaret.

Nihil profecto viderunt qui feles benevolentiam non posse ac pietatem erga dominos fovere dixerint, omni caritatis laude ad ingenii aciem canibus dumtaxat adjecta. Enimvero, medius Fidius!, si quidem inter omnes constat quam difficiles et infidae ac morosae plerumque sint feles, opinione crebrius fera felium familia maximam hominum adhibuit caritatem: quod facile argui ac probari poterit, si ad ea refellenda quae contra dicuntur meum Zizzi insciis protulero exemplum.

A me olim aegrotante numquam ille discedere voluit, sed mihi assidens in imo lectulo in me benigne respiciebat, voculam «ron... ron» placide edens, et quasi excusabundus mihi manus subsimo ore perfricabat, si quadam interdum naturae necessitate parumper concedere coactus esset (ille enim adeo fuit mundus, ut in capsula ad hoc ipsum parata alvum exonerare cito assueverit subrumus). Medico jubente, eum reicere et arcere frustra conati sunt propinqui: is pervcit, qui custos et comes invitis omnibus usque ad restitutam meam valetudinem apud me moratus sit. Cur igitur eum diligere et magni facere non debui, qui tam multos caritatis igniculos in me jecerit?

Ceterum, ne plura complectar, ille ego qui a cruento prorsus abhorreo, nihil cunctatus sum quin taetro vulneri olim mederer, quod pugnaci Zizzi aemulus quidam in caput intulisset, pus et saniem detergens, dum convaluisset: nec semel id accidit, quod saucius Zizzi quadam ex incursione revertens ad me confugit, qui tot medicamentis illecebrisque vulnera fovens hoc valde oblectatus sum, si domi continere valui, si clam spectare potui quid ageret et quomodo lepidus gereret se lepusculus ille, cum domesticus otiaretur, si furtim admirari mihi licuit quantum studii ad curiosiorem sui cultum nonnumquam conferret.

Praeclarum spectaculum, eccere!, semper habui: aspicite mecum. In suo cubili, domi, molliter stratus, vel sub tegmine trichilae, in hortulo, vel in peramoeno solario apricans, singulas pedum palmu-

las ille lingula lambit, retractis unguiculis, os auresque madefacto pede naviter tergens. Deinge pectus cruraque atque imam caudani ad pulices deturbandos mordicus luit mussitans ac mirum in modum se distorquens —venustam dixeris saltatricem ex Arabum tellure natam! —alterno retorto pede cervices tergaque vehementer scabit. Munditiis denique cum ornatus sit, pingua membra agilis sternit, crebro oscitans, placideque recumbit. Postremo, captus sopore, paulisper conivet quiescens, statim experrecturus, cum levisomnus sit, si quem strepitum perceperit vel si rursus scalpere oporteat vel si quid ex patina cuppediis opulenta sibi delibandum videatur.

\* \* \*

In hortulo aprico, qui domui meae est contiguus, alacritatis abundantiam cum saepius effunderet Zizzi, in arbuscularum corticibus exacuens unguiculas, ut comites vel potius amiculas ad se cieret, «mia miau» stridule dictitabat. Ita accidit ut errabunda quaedam in hortum necopinato incideret feles, quam, subito amore captus, tum deinceps nitidus juventa uxorem duxit Zizzi eandemque ego meam in domum libenter accepi, nurum nuncupans, indito quoque ei Fulviae nomine, quoniam fulvior erat niveisque maculis parsa.

Exinde felina mihi familia est aucta, ubi quattuor haud inventustos Fulvia edidit natos, quorum duos sodalibus meis postea donavi, reliquos porro nepotes suscepi, nominibus inditis «Ciuci» et «Neaerae», quod alter «ciui... ciui» putide clamitabat, altera autem quod nigro erat colore (niger enim *nero* italice denominatur) eademque albulis maculis conspersa.

Videlicet, plurima ac prorsus innumerabilis postea ex Fulvia et Neaera matribus enata est suboles, quam ad tertium mensem semper alui, potentibus amicis adultam maerens et invitus donaturus, cum frequentes partus domi, scilicet, continere nequeam, hoc tantum gavisus, quod tantisper spectare potui tot venustulos pullos, qui eandem parentum exprimant effigiem, seu matris ubera certatim ducentes seu molliter cubantes, morsibus potissimum inter se petentes rixantesque hilarulos, tenellis crusculis nisos huc et illuc cursitantes discurrentesque, acriter demum felientes cum offam arripiant tagaces lepideque ludentes si qua crepundia protulerim.

Tamen, facere non possum quin doleam, misericordia commotus, quotiescumque alumnis orbatae matres totam domum complent querellis, omnia conclavia peragrantes, multoque maerore confectae amissos partus requirunt...

\* \* \*

At Zizzi, quamvis procedente tempore contumax et impudicus factus sit, semper in deliciis est mihi, quem ille penitus diligit. Cum autem ipsum ego nomine appello, undique ceteri concurrunt catti, ipsius Zizzi uxor et filii filiaeque, stipantque me: Zizzi enim non modo quoddam unius nomen cluet, sed omnibus exstat jussum, quod gratissimam cenandi horam cunctis escam reflagitantibus significat, idemque haud secus atque aeris tinnitus valet vel classicum receptui canens, ubi noctu cubitum est eundum.

Si mente complector qua aegritudine tum affectus sim, tot dies cum Zizzi afuerit, nempe vereor ut mihi met ipse credam. Enimvero prolapsus sum ad fletum —nihil me pudet hoc profiteri—, cum tertius jam praeterierat vesper, cum fugaces, eheu!, una cum totidem diebus undecim noctes deinceps lapsae erant, necdum meus redierat cattus... Animum totum jam abjeceram, metuens ne incautum gravibus rotis motoria quaedam raeda protritum contudisset..., ne quis alicubi liberaliore victu bestiolam apud se continens fugam forte praepediret... Cum denique revisendi ejus dejectus eram spe, duodecimam post noctem, ante ipsum festum diem quo Christi Natalis celebratur, repente rediit Zizzi, macie confectus, incompto villo sordidus, esuriens ac fessus de via, miserandum in modum feliens et rostello caudaque manus mihi et crura blandicule attingens, ut cibo eum quam ocissime juvarem...

Quanta tum laetitia ego sum affectus, lepusculum meum insperato cum revisi! Quot blanditiis eum tunc oneravi, qui immemor ac nequissimus a benevolentia mea defecerat!... At nihil profecto, pol!, hoc morabar: id unum nunc intererat mea, quod filius ille prodigus tandem redierat, quem tamdiu praestolatus eram sollicitus! Utinam semper ille apud me maneret domi!...

At domi Zizzi denuo versari brevi laetus sum: aliquot enim interjectis diebus, breviores fugas redintegravit lascivus, juvenili licentia contentus, mox regrediens genio parumper cum indulsisset, fame coactus, horricomis, rivalium unguibus saucius.

Qui hactenus frugi, is lastaurus est nunc factus et putidus moechus, cum uxores, cum filii sint ei domi...

Posthac, mea ipsa ille vix patitur blandimenta, rabidus in me quoque sufflans, cauda minaciter mota, et unguis prae se fert, quibus me —o praeclaram gratiam!— interdum dilacerat incautum, quamquam jocosis morsibus manus antea appetere solebat, nullo tamen mihi vulnere illato...

Quid est, mehercule!, cur mihi nunc plorandum sit? Quid autem est cur amplius me excruciem? Naturam Zizzi suam secutus est felinam ejusque non invitus paret imperio, quandoquidem pervagum et in voluptatibus volutabundum se praebet: necesse est id patiar,

papae!, hoc tantum contentus, quod domum meam simiolus ille adhuc ventitare soleat, post crebriores excursus erroresque, numquam mutata sede.

En cui benignitatem ipse commisi! En qui, domum quotiescumque remeat, singulari ac propria ex longinquo altisona voce suum nuntiat redditum, cum acceptum mihi exspectatumque se regredi semperque a me tamquam filium exceptum iri pro certo habeat!

In ipso limine paulisper moratus, ad omnia caute circumspicienda, januam vehementer pulsat —hominum genere dixeris natum!—, capitis pedumque vi adhibita diducit fores, si nullis repagulis sint occlusae, intratque vestibulum, in meum secretius cubiculum ingreditur, pedetemtim accedens ad me, quasi veniam petiturus; deinde, blandum meae manus attactum perpessus, ore caudaque in mea crura leviter perficatis, illuc procedit citus ubi mensa extruitur, arripiens ex patina, felibus ipsis opipare parata, quicquid dapium nanciscitur. Sin me absente domum ille advenit, foris me opperitur redeuntem, aegre exspectans dum ego forenses domesticis mutem vestes eique ipse porrigam edulia. Cenatus autem potusque, bene ac diu quiescit, haud secus ac si omnis culpae sit exsors. Denique, refectis vix viribus nec non acta corporis cura, nonnulla post diludia rursus egredi cupit —nisi janua subito aperiatur, e cardinibus fores ipsas evellat!—, ruit portis, abit subinde redditurus esuriens, vulneribus perfusus, madidus, si forte maximus imber instar torrentis effusus sit: tum vero, udis ejus villis pannulo perficatis, vehementer detergeo, tepore fovens, ne molesta pituita exinde ipse laboret.

\* \* \*

Interea, dum venerivagus ille Zizzi quasi senio carens foris versatur noctu, en Ciuci, non illepidus neque ingratus cattus idemque bonis moribus imbutus, una cum matre et sorore, quae uxores —quid mirum?— alioqui factae sunt, manet domi. Saepe legenti vel exaranti libros vel ludicra televisiva spectanti dormitans mihi adstat Ciuci: me in sinu foventem limis ocellis interdum respicit; repente surgit ac, distentis cruribus, instar camelii arcuatus terga, oscitat late ducens rictum; deinde, submisso jucundoque fremitu meas appetens blanditias, ad ea verba quibus arcessere consuevi non illepide respondet, tamquam saviaturus.

Quid vero? Quoad vagulus abest, benevolentia mea indignus Zizzi mihi videtur: at inverecundus simiolus ille cum satis superque moratus revertitur, cum cruentus ac turpiculus visu, demissis auriculis caudaque immota mihi modica corporis jactatione appropinquat, omnia irata, quae mihi ipse pollicitus sim de eo, actutum obliviscor

eumque a me semper diligi ac potissimum dilectum iri sentio, multo magis quam domisedam Ciuci ceterosque cattos, qui redeuntem Zizzi paetuli et suspicaces olfaciunt edendique rabie inflati in eum acriter invadunt, hoc aegre ferentes, quod exstructas dapes ambabus malis expletis extraneus ille voret.

Qui autem ad id locorum breviores excursus exercebat, is etiam et etiam reditus moratur idemque, cum regredi sibi opus sit, extra fores portarum, dum aperiantur, diu opperitur tacitus vel exili et raucisona voce felit, haud secus ac repulsus amator miserabile *paraklausithyron* modulatur, deprecabundus, quod tantam mihi movet misericordiam, ut verbis numquam adaequare possim.

Qui antehac dominus, eum —eheu!— in sua ipsa domo molestum hospitem cum nanciscor ac deprehendo segregem, tamquam egenum ac perditum, et fortuna et specie supplicis, extra januam timide opperientem dum aliquid cibi a me sibi afferatur et suspenso gradu ad me ipsum incedentem, facere non possum quin valde ac mirifice quidem doleam.

Nunc multo magis benevolentia ac pietate est mihi dignus infelix Zizzi, quem ductim omnia vorantem et sublato capite ex patina uxorem filiosque identidem circumspectantem, hoc prorsus caventem, ne impetus fiat felinae illius gentis, cuius ipse in mea domo princeps et auctor fuit, haud siccis oculis respicio.

Ecquisnam molliore animo praeditus, si quem nonnullius bestiæ lamentabilem casum audierit, a lacrimis temperet? Sin autem, mehercule!, ecquid deflere ac lacrimare ille solet? Mecum optimus quisque miseritus nunc lugeat!

Animi mollitus obrepentem Zizzi permulceo eique escam in ipsa manu praebeo, impediens quominus ipsum parentem unguibus petat Ciuci, cui mira simultas intercedit cum patre, cuius est aemulus, ei invidens quod a me unum se diligi blandimentisque affici cupit.

\* \* \*

Senescentibus autem vitiis ac tamquam emeritis libidinum stipendiis, quippe qui nonum jac aetatis annum ingressus sit, in communi victu quiescens et uxoris filiorumque societate, meam demum Zizzi iners fovet domum.

In solario vel in hortulo saepe misiolus ille apricatur desidiosus vel ad corporis curam intentus; interdum in meo sinu, ut antea, interpolis cubat, languidulus me respiciens; haud raro mecum televisiva ludicra spectat crebrius ac diu oscitans —et merito!—; libenter ludit mecum, argutulus me innocue mordens... —quod mihi multa gaudia praebet, quamvis id tantum ipse media in laetitia verear, ne aliquando lugubris ille et flebilis veniat dies, quo irremeabile tene-

bricosumque iter Zizzi meus ingrediatur, illuc vero concessurus, eheu!, ubi pallidulae silentesque versantur umbrae...

\* \* \*

Ante lucem abhinc diebus triginta rursus abiit Zizzi, abiit numquam redditurus: redeuntem frustra eum praestolabor nunc, eundem —eheu!— jam redire non posse illinc, quo advolaverit, cum satis compertum sit mihi.

Sane quidem aegrotare coepisse mihi visus erat ille, cum ab omnibus cuppediis abhorrentem animadverteram miratus, at nulla sollicitudine affectus, quia jam pridem Zizzi abstinere se cibo solebat, si nimia aliquando omnium edulium satietate crudus ipse suae valedudine ultro consulere vellet.

Tum enimvero graviore arcanoque illum tabescere morbo intellexi, cum vix obrepentem tremulis infirmisque cruribus vidi attonitus, cum admodum in horam horrida macie corrumpi querqueraque febri eundem laborare anxius sensi, omnibus medicorum remediis ociosus at sero —eheu!— et nequiquam adhibitis.

Summam meam erga Deum pietatem obtestatus multaque pollicitus si consanisset Zizzi, elanguescentis cubile interdiu nocte continentibiduo vigilavi, abnuenti irrita remedia sollicitasque blandicias suppeditans, in magna spe praeter spem cum essem, quoad extremum —nefas dictu!— spiritum repente meus efflavit Zizzi, nullo edito gemitu placidisque in me lacrimantem conjectis ocellis...

Frigentem rigentemque leto tum aspexi incredulus. Immotum commotus ingenti tum maerore ipsum vidi Zizzi, quem adeo dilexeram ut pater gnatum, illum Zizzi, cuius memoriam nihil umquam oblitterare poterit, cuius acerba mihi semper lugenda erit mors, nam blandus ille fuit ac mellitus, nam comis ac plenus fidei, nam pius lepidusque, benevolentissimus in me et officiosus ut in parentem filius, cui nonnullis laboranti vitiis tamen ignosci potuit.

Quae mortifera te vis tam cito a me abstulit, Zizzi? Tene scelestus quidam venenata esca absumpsit, quam imprudens libasti? An fallax quis anguiculus in te incautum virus evomuit suum? Cur occiduam senectam nondum assecutus diem spremum obiisti? Cur me multa aegritudine confectum deseruisti? En, eheu!, abiisti nec te, abhinc, mihi blandientem umquam aspiciam, «ron ron» te facientem jam ipse non audiam neque ringentem, te pila ludentem dulciaque edulia e manibus meis arripiuentem jam ipse non respiciam neque munditiis ora tergaque te ornantem. Meas manus abhinc te jocose mordentem incolumnis numquam experiar; omnes aquilum illum et mirum tui velleris colorem admirantes laudantesque jam ego laetis secundisque auribus non accipiam...

Quamvis mei doloris solaciolum apud me una cum Fulvia et Neaera etiamnunc maneat Ciuci —etsi, autem, pristinam patriae virtutis imaginem ostendens, et is interdum pervagatur lascivus—, te absentem semper sentio, Zizzi mihi dilecte, cum tota mea domus idcirco vacua nunc videatur, quia altisona et graviore tua voce jam resonare non poterit. Nequiquam nomine te abhinc ciebo: ceteri omnes concurrent catti, unus tu ad me arcessentem accurrere jam non poteris...

Humili sepulcro conditus nunc demum conquiescis in hortulo, ubi alacritatis abundantiam effundere solebas mihique domum redeunti obviam occurrere.

Utinam terra illa non ignota tibi sit nunc levis! Haud temere hoc scripsi: terrae illi gravis non exstitisti, nonum annum nondum agens, Zizzi, quem dira Leti necessitas eripuit mihi, illuc te invitum latura, unde nemini umquam, ut perhibent, remeare licet.

Prof. HUMBERTUS DE FRANCO  
Via del Velo, 13  
CATINAE (CATANIA) in Italia

# OSTORIA CHELIDON\*

*In Certamine Poetico Hoeufftiano magna laude ornatum.*

Qui nitida hoc sculptum scrutaris luce sepulcrum,  
accipe quae fuerim, quibus atque parentibus orta.  
Quae per multa silens requievi saecula, ditis  
obscuris olim tenebris inclusa sepulcri,  
marmoris e placida revoluto pondere morte  
excitor ad vitam, ac quae sint ego nosse laboro  
tempora nunc anni. Tepidi praenuntia veris  
ad sua tecta volans celeris jam venit hirundo?  
Nunc fluit in tenera sinuosus rivulus herba?  
E nudis vivax erupit gemmula ramis?  
Prata novis rident umentia floribus, atris  
e stabulisque gregem regit ad sua pabula pastor?  
Quaeris cur iterum dulci nunc redditia vitae,  
marmoreum patet in tanta dum luce sepulcrum,  
viva brevi, cupiam studiosa haec omnia nosse?

Ut primum puri vitales luminis auras,  
vere novo zephyris leviter spirantibus, hausি,  
Graecum tunc nomen mihi rite dedere parentes,

---

\* Cum Romae regio sub aede Petriana effossa est, ut de divi Petri sepulcro inquireretur, duae sepulcrorum atque funebrium cellarum series, angusta semita discretae, inventae sunt, in quibus Ostoriae Chelidonis sepulcrum, filiae, ut est in titulo, Ostorii Euhodiani, consulis designati, Sepulcro a fossoribus patefacto, corpus mortuum mulieris apparuit, pretiosis unguentis oblitum, veste purpurea indutum, velis auro intertextis involutum. Sepulcrum tertio saeculo post Christum natum adscribitur.

Cfr. Margherita Guarducci, «La tomba di Pietro», Ed. Studium, Roma, 1958, pg. 59.

atque ita parva fui post appellata Chelidon,  
nomen idemque valet versum quod hirundo latine,  
seu quod tunc lassis peregre remeaverat alis,

atque domus nidum scabris operosa tigillis  
vermiculis inimica vagis modo struxerat ales,  
sive omen pater optavit sibi sumere felix.

Parvula namque domum implevi garritibus altam,  
vocibus atque meis sonuerunt atria laetis.

Haerebam semper dulci velut indiga matri  
atque: — Quid hoc? — docilis, — Cur illud? — saepe  
[rogabam.]

Ut quae parva novis plumis ornata reliquit  
sollicitae nidum monitis vix matris hirundo,  
at genetrix passis natam circumvolat alis,  
haerentemque diu ramis hortatur et urget  
gnava velit flabris tepidi se credere venti,  
haud aliter primos docuit me provida passus  
incipere et mater, balboque ex ore referre  
nomina quae cordi semper mihi sancta fuere.

Sed pater interea, sua summa negotia in urbe  
exercebat enim, partem plerisque diei  
carus abest, seroque redit modo vespere lassus.  
Ast ubi nota mihi longe vestigia patris  
audieram vigil, atque fores resonare patentes,  
ut redeunti occurrebam dubio obvia passu!  
Cujus humo me ridentem cito brachia tollunt,  
imprimit atque genis dulci pater oscula risu  
multa meis. Quid tum? Patri nonne unica nata  
dulcis eram? Blanda laetus qui voce: — Chelidon!! —  
saepe iterabat. Eram namque illi ut mitis hirundo,  
arboris in ramo quae non suspensa sedebam,  
sed patris usque sinu varias excepta loquelas  
garrula fundebam roseis ex ore labellis.

At curis sensim matrisque laboribus aucta  
aera per liquidum pennas extendit hirundo,  
altius atque poli spatium contingere certat.  
Quae fuit ante nigris obducta puellula frontem  
pallidulam ad vernalis commotis crinibus auras,  
jam torulum cervice levem subnectit in alta,  
membra stola belle decorat juvenalia longa,  
incipit atque umeris ditem demittere pallam:  
tempus enim venit proprium contexere nidum.  
Sic, ubi cauta locum in tectis delegit hirundo,  
sive solo humenti seu ripa fluminis uda  
ecce lutum rostro lendum vaga corripit unco,  
exstruat in tignis natis ut commoda nidum.  
Quare haud invitam merita me sorte parentes  
uxorem suavi tunc addixere marito,  
visus adesse mihi est qui tam pulchro ore decorus,  
mane ut ab eois oritur sol fulgidus oris.  
Dulcem jamque meo optati spem corde fovebam  
filioli, quo tota domus mihi pulchrior esset,  
consulis et pater est habitus jam munere dignus,  
cum per membra gravis serpens, heu, corripit aegram,  
atque aetate alacrem mergit me funere morbus,  
ut rostro accipiter prosternit hirundinem adortus.

Exuere arboribus viridem cum frondis honorem  
incipit autumnus stridentis flatibus Austri,  
agmen tunc duplex caelo fit hirundinum in alto  
atque plagas petit ardenti dein sole calentes.  
Haud secus ipsa abii, sed non me luce nitentes  
aetheria excepere arvis florentibus orae,  
sed taetrae obscura semper caligine sedes,  
unde licet nulli mortali deinde reverti.  
Extinctam querula inclamat me voce parentes,  
umquam nec cessat lacrimis me urgere maritus,  
externa Syriis mihi qui totum oblinit arte

unguentis corpus, florens quod veste juventa  
purpurea ornatum velis insignibus auro  
involvit, pius hoc sculpto conditque sepulcro.  
Marmoream haec te arcam scrutantem nosse volebam.  
Nunc iter incepsum sub terra perge, viator.  
Vive valeque meique dehinc haud immemor esto.

Prof. THEODORUS CIRESOLA  
Viale Brianza, n. 22  
20127 - MILANO (Mediolani in Italia)

# CICERONIS SPECIMINA

## CATO MAJOR DE SENECTUTE

### III

In superiore *Palaestrae Latinae libello* (n. 216:41(1971)165) summam expusimus primae incusationis quae contra senectutem infertur: *a rebus gerendis senectus abstrahit*. — Commentariolum autem quod edidimus capiti sexto (6,15-16) respondet: ibique in prima fere constitimus parte, in ea scilicet qua veris sincerisque exemplis Cato senectutem inertem certe non esse probat —quia et Q. Maximus et L. Paulus et Fabricii et alii quam plurimi consilio et auctoritate rem publicam defendebant—, sed in primis Appium Claudum maximum actuosae senectutis documentum ponit.

Nunc autem, comparatione gubernatoris navis proposita, eadem acrius demonstrat, seque ipse Cato exemplar ponit qui, si nunc cessare videtur —cum bella non gerat—, tamen senatui quae sint gerenda praescribit atque suis orationibus Carthaginem delendam perpetuo edicit.

Nihil igitur adferunt qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt ut si qui gubernatorem in navigando nihil agere dicant, cum alii malos scandant, alii per foros curen, alii sentinam exhaustant, ille autem clavum tenens quietus sedeat in puppi. Non facit ea quae juvenes; at vero majora et meliora facit.

Non viribus aut velocitate aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia; quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. Nisi forte ego vobis, qui et miles et tribunus et legatus et consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor cum bella non gero; at senatui quae sint gerenda praescribo et quo modo; Carthagini [quidem] male jamdiu cogitanti bellum multo ante denuntio; de qua vereri non ante desinam quam illam excisam esse cognovero (6, 17-18).

48. NIHIL AFFERUNT: [«non adducono *nessuna* seria *regione*» (D'A-GOSTINO) — «no añaden, no aportan *ninguna* razón de peso»]: sumi

potest ut «concretum» pro «abstracto» nostro —ut ex conversione italica et hispanica apparet—. — Pronomina et adjectiva saepe *substantive* sumuntur: eaque nos frequenter in vocem concretam convertimus:

«*Multa non probō*» CIC. *de fin.*, 1,6,18 [*otros muchos razonamientos suyos*]; «*nostra*» = *mea* «*scripta*» CIC. *ad fam.*, 16,10 [*mis trabajos literarios*]; «*nostra*» = *mea* «*promissa*» *Ibid.*  
 «*Haec refelli possunt*» CIC. *Tusc.*, 1,33,80 [= *haec «argumenta»*];  
 «*Longinque commemorare — domestica nosse — grandia persequi — summa assequi*»; cfr. *Pal. Lat.*, [n. 211]: 40 (1970) 122.; U. E. PAOLI, *Scriver latino*<sup>2</sup>, § 25, c, 26, pp. 55-56; MENGE, *Repetitorium...*, München 1965, n. 180, 5, p. 134.

De voce *nihil* cfr. *Pal. Lat.*, [n. 209]: 40 (1970) 27, et ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe, lat.*<sup>2</sup>, § 37, p. 28, et ERNOUT-MEILLET, *Diction. étymol*<sup>1</sup>, s. v. *hilum*.

49. IN RE GERENDA: cfr. supra: *Pal. Lat.*, (n. 214); 41 (1971), 73-74, n. 10.

50. IN RE GERENDA VERSARI: [«*s'occuper des affaires publiques*» — «*prendere parte alla vita pubblica*»; — «*tomar parte en el gobierno, desempeñar un cargo público*»].

51. NEGANT: [affermano che ... no] — «dicen, afirman que ... no»].

52. SIMILESQUE SUNT UT SI: cfr. alias locutiones:

«*simile est... ac si omnis hic mundus intereat et concidat*» CIC. *de re p.*, 3, 34;  
 «*similis tamquam si*» ID. *de div.*, 2, 131;  
 «*homines similes inter se*»;  
 «*similis ac, atque*».

53. SI QUI: cfr. supra: *Pal. Lat.*, [n. 209]: 40 (1970) 26; BERGER, *Stylistique lat.*<sup>4</sup>, § 42, p. 158.

54. GUBERNATOREM: *governator* est 'rector navis' [*timonel — timoniere — timonier*]: 'qui gubernaculum moderatur'; differt a *naupego*, 'qui naves fabricatur'; a *nauarcho*, 'qui navem bellicam ducit' [*capitán — (capitano), comandante — capitaine*]; de his vocibus cfr. FORCELLINI.

55. IN NAVIGANDO: apud poëtas et scriptores posteriores loco *in navigando*, «*inter*» *navigandum* scriptum leges:

«*Inter agendum*» VIRG. *Buc.*, 9, 24;  
 «*Inter rem agendam istam*» PLAUT. *Cist.*, 721;  
 «*Inter res agendas*» SUET. *Caes.*, 45,2<sup>1</sup>.

56. MALOS: *malus* est 'arbor navis antennas sustinens et vela': majores naves, et in primis onerariae, duobus instruebantur malis quorum major princeps vocabatur.

57. SCANDANT: forsitan Tullius non tantum ad malos referatur, sed ad ipsum *carchesium* [*cofa*, (*torre de vigia*) — *coffa* (*coffa di vedetta*)]: 'mali summum, quo ascendebant nautae ut ventos et alia explorarent'.

58. PER FOROS: *fori*, id est 'semitae per quas nautae ultiro citroque cursitant'.

59. SENTINAM: *sentina* est 'ima pars navis, fundus, cloacae vicem praestans, quo sordes et aquae confluunt'.

60. EXHAURIANT: vox apud nautas «*technica*», id est ut sordes imiae partis navis purgent.

61. CLAVUM: '*manubrium* quo navis gubernaculum torquetur'.

62. IN PUPPI: *puppis* est 'pars posterior et honoratior navis ubi est diaeta, id est camera nauarcho seu praefecto —et in onerariis navibus magistro— destinata' (cfr. s. v. FORCELLINI).

63. ALII... ALII... ALII...: en habes concinnam et symmetricam brevium membrorum dispositionem —quam alii *parallelismum* vocant—:

*cum alii malos scandant,  
 alii per foros cursitent,  
 alii sentinam exhaurient,*

*ille autem —clavum tenens— quietus sedeat in puppi;*  
 haec autem membrorum dispositio et ordo verborum *numerum* efficit, ex quibus oritur, in tota oratione, perfecta concinnitas, de qua Tullius: «Formae quaedam sunt orationis, in quibus ea *concinnitas* est ut sequatur *numerus necessario*» (*Orat.*, 65, 220); in extremo autem membro seu apodosi est etiam *chiasmus*: nam in superioribus verbum sententiam finit, in hac vero praecedit. — De verborum ordi-

---

1. Cfr. BASSOLS, *Sintaxis lat.*, vol. I, § 421, pp. 400-401; ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.*, n. 279, a, c; GAFFIOT, *Dictionnaire lat.-franç.*, s. v. *inter*, II, 2.

ne in oratione latina<sup>2</sup>, de periodo<sup>3</sup>, de concinnitate et membrorum dispositione alias diximus.

Ceterum, in his membris est vera sensus antithesis: nam dum alii... «rebus gerendis» operam dant: gubernator *clavum tenens* «*quietus sedet in puppi*»: quibus verbis officium gubernatoris, ab operibus cessatio ejusque, ut appareat, *quies* presse exprimuntur; eaque ut significantius numero quoque declarentur, *clausula* paeone quarto et spondeo constituitur: *sēdēat in pūppī*: in qua gravitas et pondus sententiae aptius percipitur quam si aliter, et sine chiasmo, tota periodus finiretur: *in pūppī sēdēat*: quae extrema clausula rarior est apud Ciceronem, cfr. LAURAND, *Études sur le style des discours de Cicéron*, Amsterdam 1965, t. II, liv. II, chap. II, p. 161, n. 2: *Mutinām cīrcumsēdēat?*

64. MULTO MAJORA: cum comparativis dicitur *multo*, non *multum*; simili quoque ratione finiunt adverbia cum adjunguntur comparativis:

«Alterum (iter)... *multo facilius* atque *expeditius*»... CAES. *de b. gall.*, 1,6,2.  
 «*Multo major* alacritas studiumque pugnandi majus exercitui injectum est» *Ibid.*, 1,46,4;  
 «Quae paulo graviora atque asperiora videntur esse» CIC. *pro Tull.*, 4,8;  
 «Quanto hoc durius, quod nos domi petimus», ID. *pro Lig.*, 5,14;  
 «Est Hibernia, *dimidio minor*... quam Britannia», CAES. *de b. gall.*, 5,13,2.

65. NON VIRIBUS AUT VELOCITATE AUT CELERITATE CORPORUM:

1. *aut* notiones vel res diversas disjungit; saepe contraria —quorum unum alterum excludit—, separat, praesertim cum iteratur (*aut* — *aut*):

«Id ergo est pronuntiatum, quod est verum *aut falsum*» CIC. *Tusc.*, 1,7,14;  
 «*Aut* in omni *aut* in magna parte vitae» *Ibid.*, 3,17,38;  
 «*aut* dives *aut* pauper — *aut* frigus *aut* calor».

2. *Aut* (et —ve) post negationem usurpantur pro *neque*; *aut* — *aut* pro *neque* — *neque*:

---

2. Cfr. *Latinitas*, 18(1970)32-50 et 101-119: *De vocabulorum ordine in oratione latina*.

3. Cfr. *Pal. Lat.*, [n. 204]: 38(1968)157-164: *Alorcí Hispani oratio apud. T. Livium*; 39(1969)65-74; *Oratio principis Carthaginiensis*; *Latinitas*, 20(1972)10-20: *Latinitas Christianorum propria*, II: *De periodo apud veteres rhetores et apud scriptores christianos*.

«*Nemo aut miles aut eques a Caesare ad Pompejum transierat*» CAES. de b. civ., 3,61,2;

«*Non viribus aut velocitate aut celeritate*» CIC., *hoc loco*.

3. In sententiis (sensu negativis) *aut* est copulativa, minime vero disjunctiva:

«*Si qua res non ad nutum aut voluntatem ejus facta sit*» CAES. de b. gall., 1,31,12;

«*Nemo hoc factum aut admirabitur aut imitabitur*» CIC.;

«*Nullis argumentis aut rationibus allatis*»<sup>4</sup>.

66. VELOCITATE — CELERITATE: discrimin inter *velocitatem* et *celeritatem* haud magnum videtur esse: *celeritas* aptius dicitur de 'festinatione, de properantia in cursu'; *velocitas* vero 'de agilitate, de quadam in agendo concitatione et mobilitate'; cfr. HUMPF, *Kleine lateinische Synonymik*<sup>2</sup>, München 1959, n. 202; MENGE, *Lateinische Synonymik*<sup>5</sup>, Heidelberg 1959, n. 340; et ipse Forcellinius, ex Sancto Isidoro, adnotat '*velocitas* est corporis, ut pedum, *celeritas* animi' (s. v. *velocitas*, *Homonym.*) et in ipsa voce interpretanda sub I, b, hunc Ciceronis locum memorans, explicat: «(*velocitas* corporis est hoc loco in cursibus: *celeritas* in agilitate et mobilitate»).

67. CELERITATE CORPORUM: [«*ligereza, agilidad física*» — «*svelteza física*»]: ex intima linguae latinae indole Romani quasdam res nominibus «concretis» saepius designant quam «abstractis»: ita rei possessionem libentius exprimunt *genitivo*, quam qualitatem *adjectivo*: quod nos nostris linguis saepissime contra facimus:

« <i>dolor corporis</i> »:	'dolor <i>corporal</i> ',
« <i>civium jura</i> »:	'derechos <i>civiles</i> ',
« <i>omnium consensus</i> »:	'consenso <i>generale</i> ',
« <i>humanitatis studia</i> »:	'studi <i>letterari</i> ',
« <i>hominum societas</i> »:	'società <i>umana</i> ',
« <i>historiae fides</i> »:	'veridicità <i>storica</i> ',
« <i>studium litterarum</i> »:	'études <i>littéraires</i> ',
« <i>praecepta philosophiae</i> »:	'doctrines <i>philosophiques</i> ',
« <i>multarum rerum usus</i> »:	'une grande expérience'.

68. CONSILIO, AUCTORITATE, SENTENTIA: *consilium*: 'actus perpendendi, deliberandi, ratio excogitata aliquid faciendi', sed etiam, ut hoc loco: 'celeritas animi in rebus povidendis ac deliberandis, prudentia, usus rerum' |«*prudencia, sentido práctico nacido de la experiencia*»|; *auctoritas*: id quo quis est auctor, suasor (forma et exem-

4. Cfr. *Palaestra Latina*, [212]: 40(1970)166; LLOBERA, *Gramm. clas. latinatatis*, n. 377; ISSELÉ, *De latinorum sermone*, n. 252; KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus...*, I, p. 227, s. v. *aut*.

plar), ac propria existimatione firmat ac fovit' (cfr. FORCELLINI) [*ascendiente, influencia, peso del propio parecer*]; *sententia*: 'sapientia, certa de rebus opinio' [*buen sentido, criterio certero, especialmente para dar un buen consejo*]. — Ex quadam orationis concinnitate Tullius videtur quodam modo tribus superioribus substantivis — quibus adulescentes maxime vigent ac valent — *viribus* — *velocitate* — *celeritate corporum*, haec, contra, opponere et in animis senum inesse confirmare: *consilio* — *auctoritate* — *sententia*.

— Ceterum, sententiae membraque orationis conjunctionibus saepissime copulantur: quibus orationum et notionum nexus ostendatur. Attamen, vocabula, quae una continentur oratione, saepe etiam sine conjunctione subsequuntur, ut incitator quodammodo feratur oratio; confer in primis:

1. in rerum enumerationibus:

- «Composite, ornate, copiose loqui» Cic. *de orat.*, 1,11,48.
- «Haec studia... delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur» Cic. *pro Arch.*, 7,16.

2. in gradationibus:

- «Abiit, excessit, evāsit, erūpit Cic. *in Cat.*, 2,1,1.
- «Veni, vidi, vici».
- «Hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere... conjunctos... aeternis poenis... mactabis» Cic. *in Cat.*, 1,13,33.
- «Abi, renuntia». — «I, lictor, colliga manus»... «I, caput obnūbe» ... arbo-re infelici suspende; verbera...» Liv. 1,26,11.

3. in oppositione seu antithesi proxima verborum vel sententiatarum:

- «Ludere par impar». «Divina humana miscēre». «Velis nolis».
- «Prima postrema». «Comminus eminus». «Ire redire».
- «Sublata enim benevolentia, amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet» Cic. *de amic.*, 5,19.
- «Democritus... bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva [discernere] poterat» Cic. *Tusc.*, 5,39,114.

4. Cum orationem affirmativam negativa subsequitur:

- «Commorandi enim natura diversorum nobis, non habitandi dedit» Cic. *de sen.*, 23, 84.
- «Ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest» Cic. *de amic.*, 5,19.
- «... In moribus est culpa, non in aetate» Cic. *de sen.*, 3,7.
- «Re, non verbis». «Natura, non litteris».

## 5. In quibusdam vulgatis formulis:

«Velitis jubeatis». «Aequi boni facio». «Juppiter optimus maximus». «Ventis remis in patriam properare». «Purus putus». «Sanus sartus». «Sartus tectus». «Fors fortuna». «Felix faustus». «Ope consilio». «Auro argento flando feriundo».

## 6. In nominandis collegis:

«Cn. Pompejo, M. Crasso consulibus» CAES. *de b. gall.*, 4,1,1.  
«L. Pisone, A. Gabinio consulibus».

## — At si praenomen omittitur, exprimitur conjunctio:

«Lepido et Tullo consulibus» CIC. *in Cat.*, 1,6,15.  
«Consulibus Tuditano et Cethego» CIC. *de sen.*, 4,10<sup>5</sup>.

69. NISI FORTE: *nisi < nē — si: ē in i commutatur ex propinquitate; et i, brevis facta est ex lege verborum iamborum: finalis longa prona est ut brevis fiat* (cfr. *Pal. Lat.*, 40 (1970) 26).

*Forte* —adverbium ex ablativo vocis *fors*— adhibetur in formulis *forte, si forte, nisi forte, num forte* et significat *fortuito, casu [a caso, per caso, casualmente, fortuitamente — casually, fortuitamente — par hasard]*; quod distinguis oportet a *fortasse [forse, per avventura — quizás, tal vez — peut-être]*.

—*Nisi forte, nisi vero* adhibentur in restrictione praesertim ironica [*à moins que par hasard — a no ser que tal vez*]:

«Nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insānit» CIC. *pro Mur.*, 6,13  
[*on ne danse guère sans être ivre, 'à moins de n'avoir plus' sa raison*]<sup>6</sup>.

70. EGO VOBIS: de usu pronominis personalis in oratione latina, cfr. supra: *Pal. Lat.*, 40 (1970) 114-116, ac de ejus collocatione cfr. *Latinitas, De verborum ordine in oratione latina*, II, 18 (1970) 112, n. 72, a, c; et *ibidem* (1970), pag. 38, n. 13: de vocibus quae, ex officio grammatical contraria, juxta ponuntur: *ego x vobis*.

71. QUI ET MILES ET TRIBUNUS ET LEGATUS ET CONSUL VERSATUS SUM: cum duae aut plures subsequuntur voces aut sententiae copulantur, haud raro —quo singulæ notiones significantius distinguuntur et eluceant— conjunctio copulativa iteratur (*polysyndeton*): *et... et...: plerumque notiones similes conjungit, aliquando et oppositas.*—

5. Cfr. LLOBERA, *Grammatica class. lat.*, n. 371; ISSELÉ, *De latinorum s., n. 239; PAOLI, Scrivere latino*, § 247; 281; MAROUZEAU, *Tr. stylistique latine*<sup>4</sup>, p. 277-278.

6. Cfr. BERGER, *Stylistique lat.*, p. 5,4; p. 44,25; ERNOUT-MEILLET, *Dictionn. étymolog. lang. lat.*, s. v. *fors*; ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.*, § 377, p. 384.

Alias tamen conjunctio prorsus omittitur (cfr. supra, adn. 68, 1-6), vel postremae voci —que additur:

«Eum tibi magnopere commendo ut et hospitem meum et familiarissimum et gratum hominem et virum bonum» CIC. *ad fam.*, 13,25;

«Cum Xerxes et mari et terra bellum universae inferret Europae» NEP. *Them.*, 2,4;

«Quantum enim praesens me adjuvare potueris et consolando et prope aequo dolendo, facile ex eo intellego quod, litteris lectis, aliquantum adquievi» CIC. *ad fam.*, 4,6,1;

«Eaque res vobis populoque romano pacem, tranquillitatem, otium concordiamque afferat» CIC. *pro Mur.*, 1,1;

«Terra marique» — «Domi bellique».

72. EGO VOBIS ... CESSARE NUNC VIDEOR: de constructione personali verbi *videor* cum attributo nominativo (*ego vobis cessare videor*) cfr. supra: *Pal. Lat.*, 40 (1970) 23. — *Cessare nunc videor*: adverbium voci, quam determinat, plerumque praeponitur (cfr. *Latinitas*, 18 (1970) 113, 75, *De verborum ordine in oratione latina*); hic verbo *cessare* postponitur et inter duo verba collocatur ut aliquantulum praestet.

73. TRIBUNUS — LEGATUS — CONSUL: *tribunus*, id est 'tribunus militum', qui sex erant in singulis legionibus et ex ordine in vicem imperium exercebant. Cato anno 207 a. Chr. n. tribunus fuit. — *Legatus*: id est qui vice ducis fungebatur ejusque locum saepe tenebat. Maximam absente duce obtinebat auctoritatem in exercitu; ita Ligarius legatus fuit Considii in Africa. — Quo munere Cato a. 189 functus est (cfr. FORCELLINI). — *Consul*: bini Romae quotannis creabantur, qui rem publicam cum imperio administrabant; quorum insignia erant: duodecim lictores, sella curulis, toga praetexta, in bello *paludamentum*. — Cato a. 195 consul fuit.

74. CUM BELLA NON GERO: 'bellum gerere, exsequi, gubernare, administrare'. — *Bellum* differt a *proelio*, a *pugna*, a *certamine*. — *Bellum* est 'totum militiae tempus', seu illa diversa variaque complectitur proelia quibus hostes inter se pugnant' (*bellum gallicum*, *b. punicum*, *b. mithridaticum*...); *proelium* 'est armorum certamen quod semel configunt hostes', seu cum acies utrimque congreguntur, (*proelium terrestre*, *navale*, *equestre*; *proelium committere*); *pugna* est a *pugno* — *pugnare* (ita ERNOUT-MEILLET, *Dictionn. étymolog.*, s. v. *pugnus*) (*pugna navalis*, p. *Marathonia*; *res ad pugnain vocatur*; *hostes diuturnitate 'pugnae' defessi 'proelio' excedebant*); *certamen* est 'a certando', in quo duo vel plures certant, dimicant ut rem assequantur (*fit 'proelium' acri 'certamine'*): de his vocibus cfr. FORCELLINI, s. v. *bellum*; MENGE, *Lateinische Synonymik*<sup>5</sup>, n. 153, pp. 93-94.

Ut lexicon tibi pares de *bello*, en tibi aliquas loquendi rationes:

«bellum imminet»: 'impedit',  
«bellum excitare»: 'concitare, conflare, conc̄re',  
«bellum parare»: 'apparare, comparare, instruere',  
«bellum indicere»: 'denuntiare' —cfr. *infra* apud CIC., hoc loco—,  
«bellum suspicere»: 'movere, facere, inferre, sumere, incipere',  
«bello aggredi aliquem»: 'arma inferre, bello lassere; petere aliquem',  
«bellum gerendum committere»: 'bellum dare (ducibus), duces praeſi-  
cere bello, bellum ducibus mandare',  
«bellum adhuc anceps est»: 'varia adhuc belli fortuna',  
«bellum protrahere»: 'bellum ducere, trahere, prorogare',  
«bellum repellere»: 'bellum propulsare, defendere bellum illatum, bellum  
depellere, profligare',  
«bellum remisit»: 'imminutum est bellum; senescit bellum',  
«bellum absolvere»: 'restinguere, componere, perficere, conficere bellum;  
finem bello imponere, facere',  
«a bello cessare»: 'bellum dirimere, ponere, deponere, componere; arma  
ponere, ab armis conquiescere',  
«bellum renovare»: 'bellum instaurare, redintegrare; reddit, renascitur de  
integro bellum; novo iterum bello implicamur, involvimus',  
«bellum inferre»: 'bellum indicere',  
«bellum defendere»: 'bellum propulsare, depellere',  
«bellum consistit»: 'a bello cessatum est'.

75. QUAE SINT GERENDA PRAESCRIBO: *quae sint*, in subjunctivo, quia pendet a *praescribo quae et quo modo* (interrog. *indir.*).

76. MALE JAMDIU COGITANTI: [«che già da tempo cova sinistri propositi» (PODESTÀ - D'AGOSTINO) — «alimenta pensamientos siniestros»]. Confer locutiones similes:

«Si quid amice de Romanis cogitabis» NEP. Hann., 2,6.  
«Si amabiliter in me cogitare vis» CIC. ad Att., 14,13 a, 2.  
«Male de aliquo cogitare» (CIC.) CAEL. ad fam., 8,12,1.

77. BELLUM... DENUNTIO: id est 'bellum indico, bellum nuntio'. — Orationibus ita semper Cato finem faciebat: «Ego vero censeo Carthaginem esse delendam».

78. MULTO ANTE: ablativus *mensurae*, qui usurpatur:  
a) cum comparativis:

«Quanto hoc durius». «Paulo majora canamus». «Nihilo firmior ad dolorem ferendum». «Tanto pulchrior».

b) cum verbis quibus notio inest praestandi, anteponendi, inferioris esse:

«Virtutem omnibus rebus *multo* anteponentes» CIC. *de fin.*, 4,18,51.  
«Ut... non *multo* illa malint?» CIC. *de amic.*, 17,63.  
«Disputare solebat, *quanto* regem Persarum... superaret» CIC. *Tusc.*, 5,32,92.

c) cum «adverbiis» *ante* et *post*:

«*Multo ante*»; «*paulo ante*»;  
 «*tanto ante*»; «*quanto ante*»; «*multo post*»;  
 «*paulo post*»; «*aliquanto post*».

79. DE QUA VERERI NON ANTE DESINAM QUAM...: id est «de qua non desinam vereri ante quam...»; quo verbo —*non desinam*, non desistam— continua significatur actio quae usque ad aliam permanebit [*fino a che*]: «*riguardo alla quale avrò timore finché non la saprò rasa al suolo* (D'AGOSTINO); *no cesaré de temer hasta que sepa...*].

Cfr. «Hostes terga verterunt *neque prius fugere destiterunt quam ad flumen Rhenum...* pervenerunt» CAES. *de b. gall.*, 1, 53,1.

Cfr. D'AGOSTINO; LUCIANO, *Vocabolario italiano-latino*, Bologna, Patron, 1962, s. v. *fino a*, nota 3.<sup>a</sup> — *vereri* = 'timore affici'.

80. ANTE... QUAM... COGNOVERO: significatur actio *futura*, de qua aliquid asseritur certo eventorum esse; et ideo habetur *indicativus et futurum perfectum*<sup>7</sup>.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor  
 Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

---

7. Cfr. ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.*<sup>2</sup>, 363-364; PAOLI, *Sintassi lat.*<sup>3</sup>, § 287, et nota 2.

# IN JOHANNEM XXIII PONTIFICEM

Divinus universi hominum generis Redemptor, cum Universae Ecclesiae, inclitae suae Sponsae, Se peculiari caritatis ardore semper adfuturum promisisset, nunquam, praetereuntibus saeculis, quosdam excitare viros desiit, qui, ingenio ac virtute praestantes, Eandem, superno quodam afflatu, sapienti ratione regerent ex illa veritatis Cathedra, in qua ipsorum pastorum Principem statueret, qui, ceu viva Ipsius imago, in universo terrarum orbe oves et agnos pasceret ad beatam aeternamque adipiscendam vitam.

Omnibus prorsus constat eos, qui, primis Christianae religionis saeculis, Petrum Apostolum secuti deinceps essent, suae ipsorum vitae fideique testes, effuso sanguine, sese praebuisse; alios tamen, inter graves praesertim aerumnas, nunquam defuisse viros, qui, honesta ac proba vivendi ratione usi, amplissima atque eximia doctrina imbuti, forti alacrique animo, nec non aliorum mores custodiendi studio nixi, Petri naviculam, cuius moderando gubernaculo, providente Deo, praefuerant, suis ipsorum exemplis, verbis, operibus, saevissima interdum propter justitiam passi, recte ac jure regerent. Quae revera omnino confirmari possunt. Nam, cum nullum Ecclesiae administranda onus, ad instar cujusvis rei publicae, jam sustinere Apostolica Sedes aetate nostra oporteat, nec jam incommoda sint aut pericula obeunda, quae eventus ipsi, at maxime rerum civilium ratio ac disciplina, tunc temporis postulaverint, ut, nullo impedimento obnixi, Summi Pontifices rectius christianas gentes adjuvarent, unum post alium Petri Cathedram recentius obtinere vidimus Summos animarum Pastores, quos penes haud facile est inquirere utrum vitae probitas vel fulgidum doctrinae lumen, an potius gubernandi sapientia vel ardens animarum studium praestiterint.

Unus prae ceteris vero nunquam memoria excidet, ex plebe ortus, qui, cum Romam versus, adhuc patriarchalis S. Marci Aedis antis-tes, se contulisset, expleto Conclavi, anno MCMLVIII, ad supremam est Ecclesiae dignitatem enectus.

Complures, plurimi etiam totius fere orbis homines, cum Eum immensa bonitatis in cunctas gentes sedulum patrem, justitiae insuper, caritatis, pacis anxium sequestrem pro Christi nomine invenissent, stupore ac veneratione capti, Ejusdem placidam suavemque

imaginem, paginulis impressam, sicut auctoris consiliariique, secum religiosissime, sive secreto sive aperte, habuerunt.

Inconsulto, primum, Angeli Josephi Roncalli pontificatus, qua ipse jam provecta erat aetate, minime firma nec diurna vestigia relecturus plerumque visus est; mox autem, ut saepius apud homines fieri solet, falsa ista sententia aestimari debuit. Nam, providentissimus Deus, qui —libera quadam nostri Alagherii poetae interpretatione hic uti liceat— admirabili consilio cuncta gubernat, cuius profundum nullo pacto quisquam attingere potest<sup>1</sup>, tam sapienter ac suaviter omnia disposuit, ut idem pontificatus in persequendo Ecclesiae itinere miliarius quidam lapis fuerit. Ille enim pontifex, etsi paene senescens, juvenilem quendam vigorem, in apostolico munere fungendo, universis Ecclesiae toto orbe institutis intulit; Ipse, rusticis sui viculi, in Insubria, moribus puer imbutus, Christi doctrinam in universum, natura sua, extendendam magis magisque conspicuis perdocuit argumentis; Ipse etiam, etsi fabrili ac humili loco natus, progredientibus deinceps annis, ad humanae ordinandae societatis studia, Bergomi, in insigni urbe, quae sedes et caput, ut vulgo dicunt, hujusmodi disciplinarum habebatur, incumbens, Ecclesiam ad recentiora scientiarum postulata alacri ac firmissimo animo conformavit in quaestionibus obeundis, quae vehementius id temporis tractabantur, a decessorum vestigiis nihil unquam recessurus, immo vero praecepta expleturus ac perfecturus.

\* \* \*

Bello altero confecto, cui cunctae fere orbis nationes interfuerant, quaedam extiterunt quaestiones, quibus nostri temporis homines inciti iter ad nova flectere audeant: humanarum itaque rerum scientia artiumque doctrina magnum afferunt incrementum publicae privataeque rei administranda utilitati, dum passim quorundam secta ubique percrebrescit, qui bona aequanda praecipiunt, quorumque electi doctrina operarii sua quidem vindicanda proponunt, Dei vero animarumque jura praetermittunt.

Nulla jam orbis terrarum regio, etsi dissita, a ceteris amplissimo distat spatio, ob mira humani ingenii inventa, ea praeceteris insignia, quibus gentes variae, tamquam praesentes, ex longinquis locis inter se colloqui, verba transcribere, imagines denique videre possunt.

Coloniae in multis variisque Asiae atque Africæ dissitis regionibus, usque ab antiquissimis temporibus constitutae, una post aliam

---

1. D. ALAGHERIUS. Ex «Divina Comoedia»: *Paradisus*, XI, 28-30.

deinceps collapsae, liberas sibi publicas res vindicant, quae tamen minime idoneae inveniuntur ad liberas institutiones servandas.

Novissima, insuper arma, vi atomica propulsa, cum tot jam tantaque funera, illo exeunte prope bello, quod supra diximus, igneis displosis globis, insontibus, heu, paraverint gentibus, nunc tamen ipsos populos sodales inter se saltem faciunt, tam funesta abhorrentes discrimina.

Quae omnia non solum commercia de rebus administrandis, verum etiam mutae utilitatis studia consiliaque fovent. Haec ipsa ex arce Vaticana attente recens Pontifex animadvertebat, qui nomen sibi Johannem imposuerat, Praecursoris ac Discipuli Christi praedilecti videlicet caritatem adumbrans.

Itaque, summa nisus ope, magis in dies magisque hominum studium explorabat mutuae necessitudinis vinculum arctius nectendi: ex quo et quaedam commoda ampliore mentis habitu agitanda laeto quidem sentiebat animo, et pericula simul futura anxius prospiciebat, quippe quod infesta nationum foedera jam fiebant, quae primum jurgii, inde belli causa esse possent: quod Deus avertat!

Ut res, igitur, postulabant, Johannes cum benignitatis caritatisque auctor tum pacis sequester fuit.

Nonne enim digne videbatur Ecclesia quae gentium vexillifera fieret ad fraternitatis vinculum arctius nectendum proclivum? Nonne ejusdem fraternitatis nuntium Ipsa, sui Conditoris jussu, universo hominum generi pertulit? Num diutius superesse possunt apud homines justitia et pax, nisi Deus adsit, a quo istae descendunt, sicut a Patre luminum descendit omne datum optimum et omne donum perfectum?

Haec sibi saepius, instantius Johannes postulata posuit; quare, quamvis brevius pontificale ageret munus, summam tamen atque adsiduam dedit operam, ut una omnium praestaret christianaе religionis natura: universarum scilicet gentium unitatis efficiendae; quod sibi consequendum proposuit, arcessendo aut reperiendo, paterno more, omnes quicumque erant catholicae fidei expertes, vel ipsos cujusque generis infideles; populorum principes ac duces veherentius admonendo, ut simultatum, immo, quod est pejus, litium causas inter nationes deterrent. Quod optime cessurum videbatur, quippe cui novissimi temporis mentis habitus esset et qui ampliore ejusdem mentis aditu omnia agitaret.

Quae ad omnia conficienda compertum prorsus habeamus Deum ipsum disposuisse suum Vicarium. Sacerdotio auctus, enim, decem egit annos apud suae dioeceseos antistitem, Jacobum episc. Radini Tedeschi, qui ad christianaе doctrinae studia sedulo semper incubuit

et ejus diffundendae exsequendaeque rationes inter praecursores pri-mus aptius adhibendas censuit.

Anno Sancto MCMXXV indicto, adjutricem navavit operam ad expositionem sacrarum Missionum instruendam, quam Pius P.P. XI, f. r., voluerat, ut omnibus constaret quantum ob pietatem ac fidei ardorem Missionales catholici de Ecclesia benemeriti essent. Itaque, eandam fidem, et jam propagatam et per ceteras vastasque regiones adhuc propagandam, in integro ac definito prospectu positam habuit.

Eodem anno, publicas Legationes gerendi munere fungi coepit. Episcopali, enim, dignitate auctus, in Bulgaria se contulit, sacras Ecclesiae partes, pontifica auctoritate functus, visurus; inde, Apostolicae Sedis Legatus in Turcas, in Graecos migravit, quos apud vi-ginti versatus est annos, quorumque alii, eandem ac nos fidem in Christum Redemptorem habentes, a nobis secesserant, alii, unum Deum colentes, Hebraei scilicet ac Mahometani, Christum tamen esse negabant.

Ex orientis solis plagis in occidentis regiones est postremo pro-fectus, Lutetiae (Parisiorum), in maxima ac celeberrima Europae urbe, moratus, Legationis magni momenti Nuntius. Hic, in animo ac mente, sub quadam imaginis specie, inhaerebat Ei quicquid de rebus publicis regendis, de populis administrandis, de mutuis cuncta-rum gentium necessitudinibus, nec non de artibus, religionibus, cultu atque humanitate assidue agitabatur. Amplissimum, igitur, om-nium rerum prospectum pree oculis habebat, quascumque versatilis ingeniorum industria, nostris temporibus, effecerat.

Dum autem cujusque generis negotia apud varias nationes per-tractat, obtigit Ei ut forte apud coetus quoque voluptatibus deditos versaretur, immo quosdam adiret Ecclesiae Romanae paene adversarios, quorum admiratos animos, que integerrima ingenuaque indole erat divino quodam afflatu impressa, ad se nullo fere negotio traxit, eorum quoque qui nihil pensi de religione haberent vel potius tenaci-us eam contemnerent. Nihil mirum, igitur, quin Franco-Gallorum rei publicae Rector, «socialismi» assecla, honori sibi tribueret sacrae Purpureae insigne (seu rubrum galerum) Ei, decimo peracto Legatio-nis anno, imponere. Cujus Legationis munus egregie functum mox aliud secutum est: pastorale nempe. Nam, vix paucos post dies quam ad Romanam Purpuram evectus erat, Pius P.P. XII, f. r., Eum ad Venetorum D. Marci templum regendum patriarcham designavit, eodem tempore, quo Pius P.P. X in beatorum caelitum prius, mox, brevi temporis spatio interjecto, in sanctorum album relatus, sera-phico quodam spiritu reviviscens a canalicolorum venetorum incolis, quorum anxius sedulusque fuerat pastor, religiose recolebatur.

Sui successoris benigne ac sapienter gubernandi rationem recens

Patriarcha persecutus est: nam, ad perficienda tanti negotii manda-ta admodum idoneus statim apparuit, omnium se patrem, amicum praebens, in omnes beneficia conferens, christiadum gregis sibi commissi mores fovens ad animarum salutem pertinentes.

\* \* \*

Cum, quinto illo kal. novembres, anno MCMLVIII, nuntium illud orbem universum pervasit: Angelum Joseph card. Roncalli ad Petri Cathedram evectum esse, nemo fortasse dubitavit quam versati, diligenti, sagaci studio ad id ipsum obeundum paratus novus Pontifex esset. Nec quicquam revera fefellit. Nam, etsi sese indignum aestimaret, omnibus compertum fuit Spiritum Sanctum Paraclitum Ecclesiae talem nautam atque pastorem dedisse, qualem illius temporis postularent.

Benignitatem atque caritatem virtutes conscius prorsus atque arcano quodam afflatu exercuit, quarum effluvium, non humana sed superna luce effulgens et in corde, juxta Cor Jesu, exardescens, copiose scatebat. Quare summa nitebatur ope ut mala per bona vinceret et anxius inquireret quid suos filios, per universum orbem distributos, consociaret aut divideret, uno eodemque ardente motus studio: ut unum sit ovile in Ecclesia et unus pastor. Satis liquet, igitur, eum omnibus proximis aequa atque absentibus mentis animique sui dona largiri. Omnes, enim, ad communis Patris domum, quasi amplectendos, vocavit, ne illis quidem exceptis qui verae fidei solacio carerent, ita ut ipsi «sollicitudo omnium Ecclesiarum» inesse videatur. Quam ob rem ejus pontificatus, oecumenica quadam nota distinctus, perpetuae hominum memoriae tradetur.

Divinum Magistrum imitatus, oves, quae nullo quidem periculo obnoxiae essent, ad tempus saltem neglegere visus est, ut ceteras dispersas, quovis genere aut natione ortas, in unum cogeret. Complures itaque pastores ex Asia Africaque creavit, quos suae ipsorum gentis antistites sua ipsius manu saepius consecravit; quosdam etiam ad fulgidam Romanae Purpurae dignitatem evehi censuit: Cardinalium vel ipsum Collegium sic augens, ut suum quaeque potissima saltem natio apud Ecclesiae Senatum haberet, qui praesens de ipsius rebus ageret. Insuper, cum nonnullae regiones, quarum gentes christiana excolendae doctrina curabantur, jus libere vivendi sibi vindicassent aut impetrassent, sacrae auctoritatis principatum gradusque apud eas instituit, ut in Nyassalandia, Northan Rhodesia, Congo, Burundia, Ruandia, Vietnamia, Korea, Indonesia. Nunquam dubitavit, forti vel audaci se gerens animo, —ut quidam arbitrantur— peculiares adhibere artes, ut meliores christiadum coetuum condiciones faceret, qui

subdole per calumnias aut per res quascumque ab altera parte non recte susceptas, vexarentur.

Ad effectum videlicet adduxit quod jam, ineunte vix pontificatu, per nuntium aethereis undis traditum, illo mane, quarto nempe kal. novembres, universi christifideles orbis est allocutus: instanter ac peculiari cura totum animum ad antistites, ad sacerdotes, ad devotas cujusque Ordinis virgines intendimus, nec non ad fideles cunctos, qui in illis commorantur regionibus, ubi catholica religio nulla omnino libertate, vel exigua tantum, frui possit; ubi divina ac humana jura obtineri nullo possint pacto, vel potius contemnenda temere censeantur; ubi, denique, pastores, legitima auctoritate praediti, in exsilium usque agantur vel in angustis vivere finibus cogantur, vel etiam impediunt ne suum sacrum ministerium libere, ut jure vindetur, exerceant.

Non attinet profecto quaerere de Johanne XXIII pontifice num in quaestionibus alicujus rei publicae an religionis tractandis se diligentius gesserit: vere negotia curare tantum intererat, quae ad religionem tutandam pertinenter. Minime tamen abstinuit quominus gentium principes admoneret ut res publicas in veritate, justitia, libertate regerent. Nullus unquam Pontifex tot unius vel popularis dominatus duces vel rerum publicarum moderatores apud Vaticanas Aedes, quot Johannes XXIII etsi tam brevi temporis spatio, excepit: Britannorum enim regina, Belgarum, Graecorum rex, Foederatarum Americae Civitatum, Italorum, Franco-Gallorum, Turcarum, Argentinorum, Peruvianorum, Uruguayanorum, Ibernorum rectores —ut de potioribus rebus publicis mentio fiat— Eum visum, cum Eo colloctum venerunt. Quo facilior autem aditus fuerat, eo laetiores gravioresve vultu discedebant qui forte per colloquium senserant quanta ei viro, ingenua praedito natura, auctoritas inesset, quae minime tamen quamquam conturbaret, quippe qua esset Ipse divinitus actus.

Siquidem in «Litteris Encyclicis», quae «MATER ET MAGISTRA» inscribuntur, christianae doctrinae rationes ac sententias de vindicando hominum socialium iure confirmavit, auxit, perfecit, nihil dubitans sub artium specie quoque quaestiones pertractare; in illa «Epistula» vere, quae «PACEM IN TERRIS» inscribitur, mutuae universalium gentium necessitudinis fundamenta Ipse posuit, multas ac opportunas praestituens cautiones adversus praejudicia, difficultates, ipsa pericula, quae cujusque, praesertim non potioris, rei publicae libertati, nec non ipsius orbis paci obsistere possent. Mala vincendi bonis ratione ac more fretus, fideles potius errorum immunes fecit, eosque saepius monuit, ut christianae doctrinae praecepta, quae iis-

dem erroribus obicerent, usui semper ipsis essent, quam adversarios damnavit sermonibusve cum eis certavit.

\* \* \*

«Sollicitudo omnium Ecclesiarum» nullo pacto obstitit quominus Romae pastorali munere Johannes attentius fungeretur. Jam primum, non solum Venetiis, quoties majoribus curis vacaverat, Ipse omnium pastorem se praebuit, pro populo, cum populo etiam vitam agens, ipsum popellum in quaque vel remota dioecesis, non equidem ampliae, parte saepius visens; verum etiam longius latiusque deinceps se contulit, Bergomum, Mediolanum, Augustam Taurinorum, Pisas, Leucum, eo, denique, ubi res cumque postulabat, sui muneris maxime de rebus divinis humanisque concionandi, operam daturus, ad Lapurdense usque Specum, in Hispaniam usque, sacerdotio augendos consecratus aut conventibus moderatus, aut, in quibusdam sollemnioribus rebus, ipsius Pontificis vice functurus.

Cum fuit autem ad primi Apostoli Cathedram evectus, universorum christiadum pater ac pastor creatus, quamvis sibi multo quidem amplior obtigisset dioecesis et ulterius esset aetas provecta, episcopum tamen, ex ipsius vocabuli sententia usque se praebuit.

Itaque, usque ab inito pontificatu hospitalium «Sancti Spiritus» ac «Jesu Infantis» aedium infirmi, nec non et carceris «Regina Caeli» in vinculis custoditi Eum visurum exceperunt, illo Jesu Christi natali die, memoriae quidem tradendo, anno MCMLVIII. Crebrius, insuper, suos ipsius curiones, sacerdotes, sacrorum alumnos convenit, quibus familiariter, pro sua comitate, semper est usus; ad ipsa monasteria, coenobia, sacros recessus, monachos virginesque devotas visum se contulit. Piacularibus, adde, pompis, quadragesimali tempore, interfuit; item, Hebdomadae Sanctae memoriam apud principem S. Johannis Aedem, apud S. Pauli, S. Crucis, S. Mariae Majoris templa, singulari pietate recoluit; pedibus crebro Romae vias peragravit, quem turbae arctius urgebant, satis habentes se vestis ejus fimbrias saltem tangere. Exeunte saeculo ab «D. Curati d'Ars», qui dicitur, obitu, Encyclicas Litteras «SACERDOTII NOSTRI PRIMORDIA» pervulgavit, quibus sanctimoniae ac perficiendi muneris industriae rationes moresque doceret; primae Romanae dioecesis «Synhodo», quae dicitur, ultima januarii mensis hebdomade, praefuit, anno MCMLX, quo validiores ipsorum sanctimoniae rationes sacerdotibus, monachis virginibusque sacris, nec non et fidelibus ipsis percenseret.

Pro sua, demum, modestia ac verecundia, minime est ausus, fratres per episcopatum conjunctos allocutus, de se dicere quod de

Christo Scripturae referunt: «Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis». Id tamen tacite significabat, cum paulatim Ipse minus in dies pastoralis munera pondus subire videatur, percrebrescente Ecclesiae opera pro rata ejus aetatis laborisque parte.

\* \* \*

Si quis quaerat quomodo tam ingens tamque varia opera optime semper cesserit, non humanae tantum naturae adjumenta observet, sed animum praesertim penitus terebret, cuius facultates ex arcani quodam sermonis commercio cum Deo manaverint; id, insuper, consideret, quod Ille ad unam Christi Ecclesiae salutarem obtinendam causam se totum dederit. Nam, hic Servus Servorum Dei concreta ac validiore, etsi non summa, fuit quidem doctrina imbutus (ut, ex. gr., de D. Caroli ministerio «Annales» testantur); fecundus etiam fuit, etsi non facundus, concionator. Nescimus, denique, quid in oculis, voce, motu gestaverit, ut sui ipsius studium in aliis excitaret; at Dei vir fuit, praeter cetera, Johannes XXIII, cuius illa «sapientia cordis», tamdiu imperitissimo cuique occulta, cogitationes et opera semper direxerit.

Si quis «Animae Diarium» legerit, minime dubitet quin auctor sinceram suam expresserit mentem aut ne unum quidem apicem inesse siverit superfluum, nedum a vero alienum: illud enim eundem spirat odorem, ac illa S. Teresiae e Jesu Infante «Animae Historia». Integerrimus semperque sui similis, et ab adolescentulo et deinceps, in illius «Diarii» paginis exstat, quippe qui, in Dei sortem vocatus, huic semper immutatam servaverit fidem.

Quae constans autem ipsius vitae norma fuit, illud nempe «Oboedientia et pax», significat quam humiliter Deo, et omnibus qui in nomine Ejus aliquo fungerentur munere, se subegerit, quam comiter suaviterque omnes adierit. Integerrimae ac purae conscientiae indicium in omnibus ejus exstat operibus. Exeuntem octuagesimum vitae suae annum celebraturus, cum se aliquantulum secreto recepisset ad res de aeterna salute meditandas, haec scripsit: «Peccata = circa castitatem, ad me quod attinet, haud quicquam unquam grave, vel immodestos gestus; circa oboedientiam, nullus, vel minimus inobedientiae motus omnino me affecit, quare gratias Deo ago quod ea culpa me semper exemit, tum maxime cum non parvae impensae futura mihi oboedientia fuit; circa caritatem, magis familiariter, nulla fere ope nisus, ea uti videor; aliquid tamen incommodi interdum mihi attulit caritatis usus; ad intolerantiam vel ipsam interdum impelli videor, quam, «me inscio», quispiam forsitan aegre ferat.

Quibus omnibus perspectis, plane liquet Eum vitam totam degisse serenam, eo videlicet quod divinae voluntati, ut quibusdam fieri solet viris peculiari beneficio donatis, agendi rationem, in omnibus tractandis negotiis, omnino conformaret. Si quis, igitur, id addat, quod animum a caducis hujus mundi commodis adeo sejunxit, ut sese paupertatis voto obstrinxerit; si quis meminerit quam humilem vitam, Ipso non quidem invito, usque degerint propinqui, dum Petri Cathedram teneret; si quis, denique, secum recognitet quam liberali humanoque animo in egenos, miseros, infirmos, aberrantes ipsos se gesserit, vix abstineat quin aestimet Eum supernis Gratiae donis singulari modo affectum fuisse, quibus eo magis frueretur, quo libentius eisdem consensisset.

Ex his omnibus id colligi, demum, potest, quod Johannes XXIII sanctimonia praestantissimus fuit, prout singularibus praeditus virtutibus, more —ut vulgo dicunt— herois, etsi praeter naturae ordinem nihil in Eo consiperetur. Ejus tamen private ac publice vivendi agendique mores plane probant Deum Ipsi adfuisse, cum tam digne, tam pie, ardenti caritate aestuans, divina quadam potestate suffultus, alter profecto Christus, cunctas orbis gentes regeret et gubernaret.

Propius vero accedere videmur, cum dicamus Eum, divino motu afflatu, Oecumenicum indixisse Concilium, unam nempe illius pontificatus rem prae ceteris admirabilem futuram; quin etiam, ad id ipsum, juxta Omnipotentis nutum ac numen, Apostoli Petri adeptum esse Cathedram. Nam, post tertium vix mensem quam ad supremam Ecclesiae dignitatem evectus erat, apud templum D. Petri extra moenia, septimo kal. febr. anno MCMLIX, faustissimum illud attulit nuntium: Romanam Synodus primum celebratam fore, deinde Oecumenicum indictum fore Concilium, Vaticani II nomine in perpetuum hominum memoriae tradendum.

Ad omnia mox paranda instruendaque sedulo incubuit; at laboris id fuit pondus, ut postridie vix febr. kalendas, anno MCMLXII, motu proprio Concilium ad V a. nonas octobr. ineundum nuntiaverit.

Id pro certo haberi potest, quod praecipuum sibi propositum fuerit Oecumenicum convocare Concilium pro ipsis Ecclesiae condicionibus sub «universitatis» specie conspiciendis, prout aetatis nostrae res postulent, quibuscum congruenter christiana res publica se gerere oporteat; pro eo insuper quod Christi nomen longius latiusque propagetur, quod dissentientes fratres fidei unitatem persequantur, quod probitatis, etiam sanctimoniae, mores reviviscant, qua nulla Catholicae Ecclesiae alia fuit unquam praestantior nota.

Inenarrabile fruendum dedit Ei gaudium Dominus, cum id provide fieret, ut Concilium ipso divinae M. V. Maternitatis die festo ce-

lebrari coeptum fuerit: omnibus enim constat quanto percolendum studio quodvis M. Virginis, quam sui pontificatus «Stellam fulgentem» haberi censuit, Ipsi festum fuerit.

At mox, prima ejusdem Concilii praetereunte mora, ad aeternam victoriae palmam consecuturum justo Judici servum suum bonum ac fidelem vocare placuit, qui pro Ejus gloria intrepidus tanti certaminis sibi sumpsisset onus. Antea tamen, juxta illud «virtus in infirmitate perficitur», universo hominum generi exemplum dandum curavit, quae quantaque passum ipsum Pontificem Ecclesiae esse profuturum. Ita profecto se rem habuisse perspicuum est, quod eadem qua hora Eucharisticum Sacrificium in area ante Maximum christiani nominis Templum peractum fuit, sub vesperum, tertio Nonas julias, a. MCMLXIII, lugubres Petrianae Molis sacri aeris tinnitus nuntiavunt Johannis quoque sacrificium simul esse confectum simulque Pontificem ad beatam caelorum requiem transisse.

Suo videlicet sacrificio tantus Pontifex propitium Deum facturus videbatur ad ipsum Concilium persequendum et feliciter perficendum.

Ipse, apud beatorum versatus choros, jam satis profecto habere potest se tandem praecipui sui voti compotem esse.

Prof. JANUARIUS MARINELLI  
Via Salvator Rosa, 241  
NEAPOLI in Italia

# DE SERVIO (c. 400 p. Chr. n.)

In memoriam Doctoris Aemilii Orth, qui Palaestrae Latinae paginas scriptis suis saepe honestavit, haec de M. Servio quae apud nos vulganda reliquit cum Hispaniam olim visitare solebat itineribus scientificis, nunc typis mandamus.

Servius circa annum 370 natus esse videtur et anno 400 Romae magister linguae latinae floruit et grammaticus commentarios in Vergili (70-19 a. Chr. n.) carmina composuit; in primis «Aeneidem» interpretatus est, ad «Georgica» non tot labores applicuit. Vergilius enim a Romanis summum fastigium sapientiae habebatur, quare in omnibus scholis tamquam fundamentum eruditionis tractabatur; idem poeta verus nationis romanae fuit ideoque ejus «Aeneis» Romanis eadem auctoritate fruebatur atque Graecis Homeri carmina.

Servius fuit fortasse discipulus senis Donati qui (c. annum 350) Romae maxima gloria magistri grammaticae fruebatur; ejusdem Donati disciplina etiam Hieronymus (c. 342-420) eruditus est, aequalis ille immortalis episcopi Augustini Africani et Marii Victorini rhetoris et philosophi.

Servius ipse circa annum 400 Romae, in capite mundi, grammaticam clarissime docuit, ubi permultae scholae adulescentibus urbis et orbis terrarum certatim linguam latinam auctoresque antiquos explicabant; ille sine dubio dependet a Donati commentariis in Vergili carmina, qui poeta Servii libris amplis explicatur et studiose defenditur; jam Probus grammaticus (c. 70 p. Chr. n.) ad Vergilium adnotationes commentandi gratia conscripsit, ut elucet a codice Parisino 7530.

Vergilius adulescens doctrinam Epicuri Sirone magistro didicit; quam ob rem tam saepe Epicureorum mentio in Servii commentariis fit. Etiam Lucretius saepius apud Servium nobis occurrit, quia carmine De Rerum Natura Epicuri placita describit quibus Vergilius quoque adhaesit. Praeter Epicureos non raro Stoici in illis commentariis reperiuntur, qui Epicureorum erant adversarii. Memoriae dignum est utramque sectam philosophorum Epicuream et Stoicam ad interpretationem carminis adhibere neque ullam fere aliam scholam antiquorum sapientium, unde patet illos locos vetustissimis temporibus grammaticorum romanorum ortos esse, ut exemplum

afferam M. Valerium Probum grammaticum (anno 70 p. Chr. n.) qui etiam ad Vergilium adnotationes scripsit (cfr. cod. Parisinus 7530); et ante Probum Julius Hyginus (grammaticus hispanus) ab Augusto imperatore libertus (54 a. - 17 p. Chr. n.) rector bibliothecae Palatinae, qui ad Vergilii carmina notas fecit (cfr. Gellius 1,21,2 et 16,6,14).

Lucretius ipse ad grammaticam latinam descendam non erat aptus auctor romanus propter multas priscae latinitatis proprietates captu difficiles; a Servio laudantur ulti poetae Persius, Statius, Lucanus, Juvenalis. Lucretius solum ad res physicas et naturales illustrandas, non ad alias Vergilii res declarandas adhiberi potuit.

Auctoritas Servii tanta erat, ut Macrobius eum in «Saturnalibus» ad disputandas quaestiones adduceret. In Servii commentariis multae quoque animadversiones inveniuntur, quae ad Vergilii versus nullo modo spectant; in illis commentariis vocabula et partes sententiae explicantur; praeterea propositones quasi philosophae ab alio commentatore magis philosopho ad Servii opus adjunctae sunt. Servius fuit denique maximus existimator et interpres Vergilii antiquus. Praeter vocabula etiam ars poetae versus faciendi tangitur.

Servius quidem cum philosophiae non tam peritus esset, Vergilio poetae interpretando neque ulli alii auctori maximam operam nnavit quaestionesque grammaticas tractavit. Eo quod etiam hodie in scholis latinis Vergilius poeta auctor celeberrimus habetur, cuius carmen «Aeneis» legatur oportet, Servius quoque suo jure commemorari potest; multae sententiae universalioris generis ac momenti in Servii commentariis obviae hic jam proponantur. Locis igitur sequentibus numeri adduntur, quorum primo *volumen* editionis Servii, secundo *pagina*, tertio *linea* paginae significatur: ex editione, quam Georgius Thilo fecit Lipsiae 1881-1887 apud Teubnerum «SERVIUS GRAMMATICUS — IN VERGILII CARMINA COMMENTARII».

### Ecce dictorum tabula!

omne quod *abundat*, vile est (3,184,21);  
 natura *aeris* per se nihil facit nisi aliena conjunctione ventorum scilicet, qui creant nubes et pluvias (2,151,15);  
*aestatis* certus est calor (3,160,17);  
 omne *altum* migrum est (1,608,20);  
 nullus est *amator* laboris (3,166,16);  
 tria sunt, quibus *amatores* possunt placere: divitiis, pulchritudine, cantilena (3,21,7); omnis *amor* plenus furoris est (3,124,9); gravior *amor* fit ex desperatione (3,99,25); definitio *amoris* est: ignis occultus (1,194,19); *anima* perpet-

tuitatis est (1,369,8); *anima* caeli pars est (1,313,20); volunt philosophi invitam *animam* discere a corpore, cum quo adhuc habitare naturae legibus poterat (2,649,31); tribus constamus: *anima*...*corpore*...*umbra* (1,577,10); omnes periti dicunt in homine quattuor esse *animas*: unam vitalem... aliam sensualem... tertiam intellectualem... esse etiam quartam infra omnes quae «physiké» vocatur, naturalis (1,602,5); omne pingue *animal* caret pilis (3,307,1); omnia *animalia* ex quattuor elemen-

tis et divino spiritu constare manifestum est (3,337,2); in omnibus *animalibus* non est amor unus atque idem, sed in singulis generibus pro qualitate naturae (3,295,12); sicut *animi* facta immortalia sunt, ita corporis pereunt (2,318,32); physicum est ut qualitatem *animi* ex oculorum aut corporis stabilitate aut mobilitate noscamus (1,523,2); cantus ad *animum*, salatio ad mobilitatem pertinet corporis (3,63,10); omnis *antiquitas* difficile pura et incorrupta manat in posteros (2,316,8); salsa *aqua* magis pruriginem creat (3,311,3); nostri *arbitrii* est visa omnia vel improbare vel recipere (1, 632,8); omne quod *aridum* est, cum frangi cooperit, nimium efficit sonum (3,204,4); *arma* dicuntur cunctarum artium instrumenta (1,55,8); *arx* est in civitate munitus locus (1,368,10); *aspera* sunt, quae cum veritate dicuntur (2,579,4); *avaritia* homines navigare compellit (3,49,18); inchoare *bella* quorumlibet est (1,463,24); vestigia sceleurum (sunt) *bella civilia* (3,47,3); *bitumen* ex fulmine dicitur procreari (3, 106,15); plerumque *bona* in pejus, mala mutantur in melius (3,109,26); regum est *breviloquium* (1,171,5); summus *calor* frigoris est principium (3, 154,6); Venerium officium non nisi *calore* consistit (2,258,15); nulla res sic fovet omnia quemadmodum *calor* (1, 32,17); naturaliter omnis *candor* vicinum in se trahit ruborem (2,582,7); *canere* otiosorum est (3,117,27); *cantantes...* minorem itineris sentiemus laborem (3,117,20); *carcer* est custodia noxiorum (3,285,7); *caro* corrupta morbo quendam habet mucorem, qui non potest ablui, quoniam omne possidet corpus, (3,319,13); *casus...* ad omnia pertinet quae extrinsecus sunt: ut ad ruinam, incendia, naufragia (1,577,3); naturale est ut, quotiens simul multa *cogitamus*, vix aliquid comprobemus (2,544,17); *conscientiae...* puniunt semper nocentes (2,48,9); magna *consolatio* est, quae ostendit non esse dolenda omnia (2,440,10); haec est plena

laus, quae etiam *contrariarum* rerum continet vituperationem (3,115,4); nihil est tam *contrarium* inter se quam aestas et hiems (3,190,9); non mulcetur nisi quod *corporale* est (2,128,26); *corpus* nostrum umbra inferorum (est) (1,313,20); omne quod potest videri, *corpus* dicitur (2,54,7); omne quod *corrumpitur*, aeternum non est (2,101, 9); tolerabilius est non inchoare quam incepta *deserere* (1,27,2); *deum* fieri maximum est; in potestate habere, quis deus velis fieri, plus esse quam maximum constat (3,138,21); *dii* umbris contrarii sunt, quas nigras esse constat (3,25,16); *dilemma...* est complexio, quae adversarium ab utraque parte concludit (1,317,6); res diu *duratura* tarde crescat necesse est (3,237,23); *echo* in concavis locis est (1,450,27); nulla pars est *elementi* sine deo (2,102, 16); *elementa...* membra sunt mundi (2,102,17); corporalia sunt *elementa* (2,128,25); *Epicurei...* dicunt deos nihil curare (1,298,29); *Epicurei...* dicunt deos non curare mortalia (1,319,21); *Epicurei...* casibus cuncta concedunt (2,439,27); *Epicurei...* dicunt duo esse rerum principia: corpus et inane (3, 69,18); *Epicurei* dicunt nihil esse, quod non habeat originem sui (3,222,23); *Epicurei* stulte solem de atomis dicunt constare et cum die nasci, cum die perire (1,567,6); tractatur ab *Epicureis*: rebus tollere noctem colorum varietatem (2,47,10); *Epicurei* dicunt fulmina non judicio deorum, sed ex nubibus fieri (3,200,24); secta *Epicurea* nihil sine voluptate vult esse perfectum (3,66,26); secta *Epicurea* rebus seriis semper inserit voluptates (3,71, 8); *Epicurei* dicunt geminam esse voluptatem: unam quae percipitur et alteram imaginariam, scilicet eam quae nascitur ex cogitatione (3,27,3); *Epicurei* dicunt nihil superesse post mortem (1,314,15); *Epicurei...* animam cum corpore dicunt perire (1,467,25); *Epicurei* dicunt omnia perire cum corpore 1,602,3); omne quod *est*, aut continet aut continetur (3,69,20); *exercitium* est

meditatio (1,494,5); *fabulae* causa delectationis inventae sunt (3,71,10); *falsa* plena solent esse blanditiis (2, 579,5); contra *fata* venire constat neminem posse (1,267,15); *fata* differuntur tantum, numquam penitus immutantur (2,259,22); *fati* necessitas nulla peritia potest depelli (2,339,9); nihil tam contrarium est *fato* quam casus (2,248,8); *felicitas* temporum ad imperatoris pertinet laudem (3,45,15); omnis *fides* tuta est (1,530,14); *frigoris* finis est caloris initium (3,154,6); aestivo tempore sub umbra fit *frigus* (3, 12,4); *fur* noctis utitur tempore (3,308, 26); *Furiae* numquam nupserunt (2,49, 3); *gaza* omnis fructus est (1,594,23); vitiosum est post speciem *genus* inferre (2,209,16); Heracliti (est) opinio, qui dicit omnia ex igni procreari, quem nunc terris alimenta praebere commemorat (3,153,16); *hiemis* certum est frigus (3,160,17); ad *homines* jura pertinent (3,193,22); *homines* constat esse prudentiores animalibus (3,209, 15); nihil nobis *hospitio* esse vicinus constat (1,409,20); tribus *humana* vita continetur: natura... fato... fortuna (1,576,28); vitae *humanae* incerta sunt omnia (2,248,7); *hyle* est faex omnium elementorum, id est ignis sordidior et aer, item aqua et terra sordidior, unde cuncta procreantur (2,282, 23); *hyle* (= *silva*) ...est elementorum congeries, unde cuncta procreantur (1, 114,6); omnium rerum conflisio *ignem* creat, ut in lapidibus cernimus vel attritu rotarum vel in silvis arborum (1,207,22); *imago* in speculo contraria ostendit universa (3,22,24); in mari *imago* non cernitur, quia non stat (3, 22,19); nulla res ita decipit quemadmodum *imago* (3,22,23); omnis magnitudo *imperii* periculis subjacet (3,267, 1); vitae *humanae* *incerta* sunt omnia (2,248,7); in rebus *incertis* sola opus est divinatione (3,42,2); tolerabilius est non *incipere* aliquid quam incepta deserere (3,28,15); nihil excellentius est *ingenio*, quippe quo reguntur universa (3,27,20); scimus unumquemque pro

generis qualitate in *iram* moveri (2, 644,5); si est idem siderum motus, necesse est ut omnia quae fuerunt, habeant *iterationem* (3,45,4); pietas pars *justitiae* est sicut severitas (1,167,15); volentibus imperare *justitiae* est (3, 359,22); naturale est, ut *lac* augeatur frigore, calore minuatur (3,41,24); scimus quia, quae *loquimur*, falsa esse possunt (2,123,3); haec signa magis fidia et subtiliora esse, quae ex *luna* vel sole colligimus (3,210,5); scimus leviora esse *mala*, quae ex opinione contingunt (3,205,19); pura *mella* constat esse meliora (1,142,17); apud majores omne *mercimonium* in permutatione constabat (3,300,19); *metam* et fines vitae dicimus, mon mortis (2,622,23); quanto quid *minutius*, tanto est densius (1,621,21); naturaliter *morientes* cupiunt satiari extremo lucis aspectu (2,467,15); *mors* infinita est (2,622,23); in ipsa *morte* finis est (2,622,25); nihil est *morte* praestantius (3,118,4); *natura* dicta est ab eo, quod nasci aliquid faciat (3,222,22); vitia *naturae* nulla ratione mutari, sed mitigari aliquatenus possunt (1,36,1); quae *contra naturam* fiunt, non adserunt praejudicium generalitati (2,34,16); *contra naturam* nihil hominum inventum valet (3,219,28); quae *naturalia* sunt, omnibus patent (2,476,4); *navigatio* ex *mercimonii* ratione descendit (3,50,20); semper duae *negativae* unam confirmationem faciunt (3,154,24); *nobiles* etsi ad praesens videntur ignoroscere, tamen in posterum iram reservant (2,644,5); naturale est ut *obscurum* sit omne concavum (1,278,18); plerumque plus *optamus* quam speramus posse contingere (3,145,9); quotiens aliqua non possumus solvere, *paria* opponimus (2,393,27); magnae virtutis est in nimio labore *parvis* esse contentum (2, 361,19); animus, in quo est *passio*, meretur reverti (in corpus) (2,102,4); desiderium redeundi in corpora... sine *passione* non fit (2,102,3); *patens* est, quod et aperitur et clauditur ut ostium, oculi (3,5,3); *patulum* dicimus,

quod patet naturaliter ut nares, arbor (3,5,2); nullum proelium caret *periculo* (1,287,11); nihil est, quod *perire* funditus possit (3,337,27); gloriosum est pro amico *perire* (2,346,2); qui erudierunt et ornaverunt vitam per inventa articia, (sunt) *philosophi* (2,93,8); *physici* dicunt stultos esse homines frigidioris sanguinis, prudentes calidi (3,265,18); dicunt *physici* minui sanguinem per aetatem (1,313,7); dicunt *physici* morbos venire ex cibi et potus nimietate vel mutatione, ex nimiis vigiliis et multa sollicitudine (3,317,9); volunt *physici* vinum non gelare (3, 305,16); *physici* ajunt omnium rerum elementum aquam esse, in quibus Thales primus (3,349,9); *physici* morbos aut a contrariis aut a similibus asserunt posse depelli (3,126,15); antiquorum omnes *poenae* pecuniariae fuerunt (1,59,20); *poeta* quasi musarum sacerdos est (3,263,22); sectis philosophorum *poetae* pro qualitate negotiorum semper utuntur nec se umquam ad unam (sc. sectam) alligant nisi quorum hoc propositum est (2,439,21); plerumque in compositione vel derivazione *principalitatis* natura corrumpitur (1,41,16); non *omnia procreantur* in omnibus terris (3,229,9); pars illa quae vicina est divinitati... est *prudentia* (3, 351,13); *Pythagorica* virtus est quinquennale silentium (2,449,24); *Pythagorici* dicunt omne, quod crescit, animam habere (3,159,2); omnis *religio* est timoris (2,591,11); omnis *religio* dixit prosperum cursum (1,407,7); ad *religionem* fas... pertinet (3,193,22); *religiosi* sunt, qui per reverentiam timent (2, 83,6); omnis *res* hominum aut ex nostra voluntate descendit aut ex fati necessitate aut ex deorum voluntate (1,28,1); infantes parentes *risu* se indicant agnoscere (3,52,22); *physica rusticana* est in paleis et in messibus (3,16,2); et *rustici* felices sunt et qui tribuunt operam philosophiae (3, 266,4); personae *rusticae* sunt simplicitate gaudentes, a quibus nihil altum debet requiri (3,2,4); nihil in his (per-

sonis *rusticis*) urbanum, nihil declamatorium invenitur (3,4,11); *sectas* dicimus habitus animorum et instituta philosophiae circa disciplinam (2,399, 10); *senes* semper novimus esse gelidos (3,201,18); in suasione vel dissuasione tam *sensus* quam verba considerantur (1,223,11); *sepulturae* beneficium generaliter debetur universis (2,489,20); plerumque scimus nos decipi *serenitate* (3,210,14); maiores se *sermone* cognoscunt (3,52,22); constat post factum mundum ex qualitate *solis* tempora esse divisa (3,248,1); *sollicitudo...* regum semper est comes (1, 113,28); constat *sonum* omnem ex vento creari (1,384,5); *spes* semper incerta est (1,266,20); *stellae* cadere non possunt, quarum natura est ut stent semper, unde et stellae vocantur (3, 205,5); *Stoici* dicunt fatorum statuta servari (2,439,29); *Stoici* nasci et mori fatis dant, omnia media (inter nascendum et moriendum) fortunae (2, 248,6); *Stoici...* fati adserunt necessitatem (1,319,20); dogma *Stoicorum* ostendit nulla ratione posse fata mutari (1,96,3); *Stoici* dicunt non esse nisi unum deum et unam eandemque esse potestatem, quae pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur (3,130,24); *Stoici* dicunt unum esse deum cui nomina variantur pro actibus et officiis (1,574,25); *Stoici...* dicunt deos humana curare (1,86,21); *Stoici* nimiae virtutis sunt et cultores deorum (2,439,32); *Stoici ...* dicunt ipsam virtutem esse pro praemio, etiamsi nulla sint praemia (1,178,28); *Stoici* animam tam diu durare dicunt quam diu durat et corpus (1,350,4); *Stoici* et *Academici...* dicunt ea quae contra naturam sunt, non fieri, sed fieri videri (1,357,3); *syllogismus* est plenus, qui constat ex propositione, assumptione, conclusione (3,100,21); ex sideribus *tempora* colliguntur (3,129,24); *terra* mater est rerum omnium et seminum cuncorum creatrix (3,219,1); cum cetera elementa mobilia sint, sola *terra* stabilis est, unde et *bruta* dicitur (1,86,

3); *timidus* est, qui semper timet (3, 67,28); qui caret gaudio, sine dubio *tristis* est (2,53,8); *tristitia* contraria est aeternitati (2,56,3); *tristitia* vicina luctui est (2,53,9); omnis *umor* ex terae nascitur venis (2,92,2); *universa* ex astrorum motu pendere manifestum est (3,45,5); qui conatur *universa* cognoscere, debet etiam impossibilia scire, ut est harenarum vel fluctuum numerus (3,229,2); omnis *utilitas* fetus est (3,259,6); naturale est ut loca concava plena sint *ventis* (1,34,13); multum interest inter *verum* et opinatum malum seu bonum (3,262,6); *viam* per aviam nullus requirit (2,314,25); *victoriae* lex est, ut victi cedant in habitum nomenque victorum (2,643,19); ea vero quae *videmus*, sine dubio vera sunt

(2,123,3); *vincere* vel finire (bella) paucorum (1,463,24); *vincere* virtutis est (3, 359,21); omnes *vires* usu venerio debilitantur, qui sine corporis damno non geritur (1,650,3); *virus* et bonum et malum, est sicut venenum nam idem est (3,163,2); diu quaesitum est, utrum philosophiae an rusticitatis esset *vita* felicior (3,263,12); majores nostri *vitia* non in dicto, sed in significatione esse voluerunt (2,195,4); amanda sunt *virtutes*, ut vitae brevitas fama et gloriae meritis possit augeri (2,440,14); *voluntate* aliquo non deferimur, sed venimus (1,381,23); *vox* est omne quod sonat (1,450,4); nullus faciem alterius potest accipere, sed *vultum*, qui pro mentis qualitate formatur (1,194,3).

AEMILIUS ORTH (†)

## EXITUS XXIII CERTAMINIS CAPITOLINI INTER NATIONES DE SOLUTA ORATIONE LATINA

Felicem habuit exitum Certamen Capitolinum XXIII inter nationes quod superiore anno Institutum Studiis Provehendis opportune indixerat.

Primum praemium clmo. Prof. Theodoro Ciresola tributum est ob scriptum cui index «*Sacrum divi Augustini lavacrum*».

Secundum obtinuit locum Prof. R. Thomas Foster lucubratione quae «*Pugilatus certamen*» inscribitur. Praeterea digni etiam qui memorentur sunt aestimandi Prof. C. Austin, D. de Castro, T. Fabbri, G. Gualtieri honorificae laudis diplomate insigniti.

Et praemia et diplomata Romae in Capitolio XI kal. maj. distributa sunt. Hac data occasione Certamen Capitolinum XXIV indicitur.

AB ACTIS

# B I B L I O G R A P H I A

SOLMSEN, F. - MERKELBACH, R. - WEST, M. L. — *Hesiodi Theogonia, Opera et Dies, Scutum, Fragmenta Selecta.* Oxonii e Typographaeo Clarendoniano, MCMLXX. Pag. XXV-246.

*Hesiodi Theogonia, Opera et Dies, Scutum Herculis, Fragmenta selecta e typographaeo Claredoniano a peritis-simis viris in lucem prolata sunt. Quae editio praefatione de operibus Hesiodi in primis praemunitur ad codices praesertim, ut editio critica expostulat, quod attinet; codicum enim qui singul-latim adhibentur conficitur descriptio cum codicum tribus carminibus com-munium tum unicuique Hesiodi operi proprii; conspectus praeterea siglorum perhibetur sive codicum sive papyro-rum. Deinde textus graecus apponitur brevi apparatu critico exornatus, ope-ris finis imponitur indice nominum quo utilius redditur legentibus atque consulentibus.*

HARRIS, W. V. — *Rome in Etruria and Umbria.* Ed. Clarendon Press, Oxford, 1971. Pag. IX-370. L. 6.50 net in UK.

Ex operis indice, quem praebemus lectoribus: I. Sources; II. The Wars of Conquest; III. The Roman Foede-ra; IV. The Alliance with the Etrus-can; V. The Romanization of Etruria and Umbria; VI. The social War; VII. The Enfranchisement of the Etruscan communities; VIII. The Sullan Settlement; IX. The Augustan Set-tlement. Appendix I-III. Bibliography. Map. Index, facile colligi potest quid sibi proposuerit auctor in hoc opere consribendo: describere scilicet atque exponere quam rationem politicam Roma habuerit in diversis Italiae proxi-mis regionibus jam inde a saeculo IV

ante Chr. n. usque ad imperii exor-dium. Quem ad finem Prof. W. V. Harris fidem auctoritatemque investi-gat narrationum historicarum quae su-persunt, rationem politicam socialesque condiciones quibus illas regiones Roma subegit, moderavit romanisque reddi-dit, in primis quod ad linguas vernacu-las per latinam sufficiendas spectat; describitur etiam vis momentumque Tuscorum Umbrorumque in re publi-ca tardiore nec non in saeculi primi perturbationibus. Tribus appendicibus exponitur quo pacto Tusci ante bellum sociale civitatem romanam adepti sint, ubi Tuscorum Umbrorumque urbes sitae essent.

NISBET, R. G. M. - HUBBARD, M. — *A commentary on Horace Odes, Book I.* Ed. Clarendon Pres, Oxford, 1970. Pag. LVIII-440. L. 4.20 net.

Horatii Carmina in iis antiquorum scriptis inveniuntur quae melius au-ram popularem sibi captarunt quae-que tamen pejus sunt intellecta. Opus, quod manibus versamus, ab auctore est exaratum qui optime novit hujus modi poemata nimis esse erudi-tiora quam ut eum praetereat cer-tarum formarum et argumentorum cognitionem necessario expostulare. Introductio praeit (p. XI-LVIII) ubi haec scitissime tractantur: I. *The Odes and their Literary Form;* II. *The Chronological Setting of Odes I-III;* III. *The Metres of the Odes;* IV. *The Ancient Commentators;* V. *Abbreviations, etc.* Unumquodque carmen bre-vi praemunitur prooemio quo in propria litterarum graecarum et latina-rum adjunctis perspicue patet. Com-menatio per abundanti scatet numero locorum similium quibus auctor ostendit quot diversis modis Horatius in iisdem argumentis usitatis iterum trac-

tandis sed variandis exstiterit peritis-simus. Librum aestimamus haud par-vae fore utilitati iis in primis qui alios antiquitatis poetas comentarios quoque exornandos aggrediantur, etsi utilius pro certo habeamus opus, si auctor tex-tum quoque latinum carminum hora-tianorum hac editione protulisset ut aliud librum adeundum legentibus evitaret.

**BOWRA, C. M.** — *On Greek Margins.*  
Ed. Clarendon Press, Oxford, 1970.  
Pag. VI-282. L. 3.00 net.

Prof. C. M. Bowra, qui in rebus litterarum graecarum peritissimus ab omnibus agnoscitur, viginti hoc volu-mine collegit de poesi graeca lucubra-tiones. Liber initur duabus disputatio-nibus de epithetis apud Homerum; sin-gula tractantur etiam argumenta de Archilocho, Stesichoro, Theognide, Xenophane; duo Euripidis et Aristophani opera minus cognita iterum investi-gantur nec non historia Orphei et Eu-rydices, Arionis et Delphini; oraculum praeterea Delphis Judiano praebitum, hymnus Melini Romae dicatus, creti-cus Curetum hymnus inquiruntur. Quae lucubrationes, cum opus fuit, omnes sunt retractatae nonnullaeque ab aliis peritis in re viris annotationes subsequentes additae sunt.

**LLORENTE MALDONADO, A.** — *Teoría de la lengua e historia de la lingüís-tica.* Ediciones Alcalá, Madrid, 1967.  
Pág. 484. Ptas. 350.

Hoc volumine tria opera de re lin-guistica colliguntur a clmo. Prof. A. Llorente Maldonado exarata et in Corpore Philologico Universitatis Gran-tensis a. 1955 et 1963 jam edita. Opus in praesens in quinque parte hac edi-tione dispergitur. Prima pars: *Princi-pia Linguisticae Generalis Hjelmslev*, ubi introductione peracta, opus cui est index "Principes de Grammaire Géné-

rale" subtilissime indagatur, non nul-lis postea considerationibus additis (p. 17-172). Altera pars ita inscribitur: "Grammatica Generalis" tanquam dis-ciplina academica et caput scientiae lin-guisticae (p. 173-214). In tertia parte Prof. A. Llorente Maldonado de Mor-phologia et Syntaxi agens implicatissi-mam grammaticae dividenda quaestio-nem et alia plurima pertractat: ex qui-bus elementis sive lingua sive signum linguisticum constet, quibus rationibus seu methodis lingua investiganda sit, quo modo Linguistica et Grammatica sint structuranda, quam arduum et dif-ficile videatur Morphologiam et Syn-taxim certis finibus constituere, quo pacto hae quaestiones linguisticae in Conventibus Lutetiae Parisiorum et Londini habitis exagitatae in praesen-tia a peritis pertractentur (p. 215-370). Quarta pars et linguae et poesi et mun-dum concipiendi rationi indagandae destinatur (p. 371-401). Quinta demum parte Linguistica recentior investigatur per prima ejus spatia temporis 1928-1945 et 1945-1950 jam inde a primis Saussure inventis usque ad hodiernas in re linguistica inquisitiones.

**IORDAN, I.** — *Lingüística Románica.*  
Ediciones Alcalá, Madrid, 1967.  
Pág. 765. Ptas. 600.

Anno 1933 in lucem prodiit hoc opus quod tantis laudibus a criticis exceptum est ut omnes tanquam opus maximi momenti in re linguistica ha-berent; nova tamen inventa per plu-res quam viginti annos in hujus dis-ciplinae dictione Prof. I. Iordan elabo-rare collegerunt in libro funditus re-tractando, ut novis rationibus ac viis quaestiones in primis theoricas iterum reviseret, novam factorum linguistico-rum efficeret aestimationem, opiniones recentes ceteraque ante oculos haberet; quo factum est ut anno 1963 nova haec editio divulgaretur, quam nunc lectoribus nostris recensendam praebe-

mus. Editoribus non tantum visum est optimum interpretem quaerere verum etiam peritissimum in re virum eligere. En igitur munus Dunn. Emmanuel Alvar, clmi. in Universitate Granaten-si Professoris. Adeo complevit atque locupletavit opus ut ipse I. Iordan hanc versionem hispanicam praestantissimam omnium existimaret omnibusque opus omnino novum videatur. Namque Prof. E. Alvar volumini interpretando et in diem retractando impensisimam operam industriamque navavit; locupletavit praecipue opus in iis quae ad quaestiones linguarum romanicarum paeninsulae ibericae attinent; recentissimam collegit bibliographiam; omnia praeterea tractavit capita ut novum aliud volumen amplificatius quam primum videatur, summa tamen reverentia ac fidelitate quam auctor ejusque opus jure merentur. Ut recensioni criticae voluminis finem imponamus, en operis index: *Capítulo I: La Lingüística Románica antes de 1900* (p. 1-140). *Capítulo II: La Escuela Idealista o Estética de Vosler* (p. 141-248). *Capítulo III: La Geografía Lingüística* (p. 249-504). *Capítulo IV: La Escuela Lingüística Francesa* (p. 505-672). *Conclusión* (p. 673-682). *Nota bibliográfica* (p. 683-688). *Abreviaturas* (p. 689-694). *Indice de autores* (p. 697-742) y *de temas* (p. 743-755).

**COLLECTION DUCROS.** — *Pindare: Olympiques*. Edition bilingue Ducros, Saint-Médard-en-Jalles (près de Bordeaux), 1971. Pag. 172. Prix 18 F.

Opus corporis seu collectionis Ducros quo Pindari Olympia poemata in lucem denuo proferuntur, francogallica est conversio a Ch. Clair, B. Cassin, M. Deguy, F. Fédier, F. Fourcade, G. Iommi exarata. Quod ad conversionem vernaculam spectat, nobis hodierna, castigata, textui graeco recentique interpretandi generi aptatam atque accommodatam. Quid sibi amplius

proposuerunt interpres hac Pindari editione bilingui quam carmina illa clarissimi vatis olympici nostra aetate divulgare? Cum proœmium aliaeque commentationes cum textu Pindari magis cohaerentes desiderentur, non nullis lectoribus forte opus videatur non trita incedere via. Nihil curae sit lectori humanissimo! Non nihil ergo sibi temporis insumat ut scripta ad paginarum calcem oculis perlustret, ubi argumenta varia de rebus humanis eisque hodiernis recenti vividoque dicendi modo magnopere exagitantur.

**MASCIOTTA, M.** — *Dizionario di termini artistici*. Ed. Felice Le Monnier, Firenze, 1969. Pag. 272. L. 2500.

In praefatione propositum auctoris in lexico exarando perspicue patet; lexicon enim fructus est diuturni improbique laboris: 1800 voces seu terminos ad amplissimam artium diccionem pertinentes colligere, impensisimam operam exegit. Auctori merito laudique tribuamus oportet quod, praeter vim et significationem terminorum, eorum addiderit etymologiam, nec non francogallice, germanice, anglice easdem voces expresserit eo certe consilio ut exteri qui textus italicos et itali qui itidem exteros legunt, ita pariter adjuventur. Neminem praeterit auctorem in opere exarando optima quaeque et ad etymologiam spectantia lexica consuluisse. Hic liber quam plurimis in primis artium cum antiquarum tum recentium cultoribus atque studiosis haud parvo erit emolumento.

**ROMANELLI, P.** — *Il Foro Romano*. Ed. Cappelli, Bologna, 1970. Pag. 126. L. 800.

Forum Romanum ejusque monumenta historiamque Urbis Romae illustrare en finis atque propositum Prof. P. Romanelli. Qui omne tulit punctum in opusculo conscribendo,

cum id assecutus sit hoc parvo volume, ubi simplicibus verbis sed summa eruditione summaque rerum historicarum cura Forum Romanum evocat, quod quasi centrum vitae Romae exsttit inde a primis Urbis originibus usque ad finem temporum antiquorum. Reliquias aedificiorum describendo auctor instituta politica ac religiosa romanorum recordatur nec non iuridica, rem publicam administrandam cotidianamque Urbis vitam universam. Extrema opusculi capita christiana Fori evolutioni destinantur atque vicissitudinibus temporum medii aevi et litterarum renascentium usque ad ruinas ex effosionibus superioris saeculi reviviscentes. Quae omnia diserte ab auctore juxta indicem tractantur: I. *Le origini, l'impianto e le caratteristiche generali*; II. *Lo sviluppo*; III. *I luoghi e i monumenti*; IV. *Il Foro cristiano*; V. *Il Foro nel medioevo e nell'età moderna*; VL. *Le esplorazioni*.

WALCOT, J. — *Greek Peasants, Ancient and Modern. A Comparison of Social and Moral Values*. Ed. Manchester University Press, 1970. Pag. 176. Price 35s net.

Ingenium hominum plerumque unum idemque perseverat, etsi variis sit obnoxium adjunctis. Hac nostra aetate Graecia, natio parvorum oppidorum, fere aedem superest atque temporibus Hesiodi et Boeotiorum saec. VIII ante Chr. n. Quam ob rem Prof. P. Walcot virtutes sociales moralesque investigare atque conferre contendit graecorum incolarum antiquorum et recentium; sub Hesiodi Homerique poeseos luce veteres graeci inquiruntur ut investigationem suam comparet cum sociologorum recentium, qui scrutandis Graeciae hodiernae communitatibus ruricolarum student. Quid agricolae voce significetur, quo pacto agri cultura foveatur, quo modo graeci sese habeant quod ad rura laboremque spectat, quibus vinculis familiae de-

vinciatur, quid de verecundia et honore ut regula morum sentiant, quantum apud eos graecos veteres et recentes invidia et simultas polleat, haec omnia fuse eruditeque auctor pertractat. Ultima libri parte indagatur quo modo homines graeci sese gerant erga praestantiores potestates sive humanas sive divinas, qualis justitia et ab hominibus et a deo sit ipsis speranda.

MILLOTE, J. P. — *Précis de protohistoire européenne*. Librairie Armand Colin, Paris, 1970. Pag. 320.

Qui studium inire velit temporum palaeolithicorum et neolithicorum in Europa, optima sibi opera facillime commodare poterit; minime tamen quod ad Europae aetatem quae historiam antecedit seu "protohistoriam" quam vulgo dicimus, attinet. Operè Prof. J. P. Millotte vera lacuna expletur; cave tamen, quaeso, postules novas audantesque de re conjecturas; tantum enim sibi proposuit auctor scholasticis atque studiosis prima praebere elementa quibus eorum studium accenderetur ad altiorem cognitionem per ampliora opera deinceps acquirendam. Tres partes in volumine prostant: *Prima pars* (Méthodologie et typologie): quid de protohistoria dicendum, quid de documentis ac testimoniis, de chronologia, de armis reliquoque suppelletile, de fibulis, torquibus, vasis fictilibus. *Pars altera*: (Les civilisations archéologiques): Cultus "Aetatis Aeneae Antiquae", "Aetatis Aeneae Mediae", "Aetatis Aenaeae Postremae", cultus "Aetatis Ferreæ" tractantur. *Pars tercia*: (Aspects essentiels de la vie économique et sociale): ubi de variis Europae protohistoricae aspectibus disseritur quod ad res oeconomicas technicasque spectat: agri culturam nempe, domum, vias, commercium, nobilitatem, plebem, servitatem, vitam cotidianam, funera, artes, ceteraque magni momenti ad primigeniam Europae historiam cognoscendam.

**BRACCESI, L.** — *Grecità Adriatica*. Un capitolo della colonizzazione greca in occidente. Casa Ed. Prof. R. Patron, Bologna, 1971. Pag. XIII-264. L. 4200.

Ut hadriatici fines non nihil extra marginem coloniarum graecarum, quod ad historiam spectat, extiterunt, ita quoque tanquam dicio criticis recentibus investiganda marginatur. Proinde Prof. L. Braccesi talem lacunam complere suo opere studet; nam etsi regiones illae hadriaticae nimis extremae mundi classici habeantur, tamen pro certo habet auctor argumentisque roborat pretiosissima eas possidere elementa socialia, ad humanum cultum pertinentia, oeconomica, quibus in meliorem urbium principum cognitionem perveniantur. Quod ut assequeretur Prof. L. Braccesi optimas quasque novissimasque in re investigationes ante oculos habens, propriam visionem speciemque profert cum inde a fabulosis per Hadriaticum navigationibus revocat colonos rhodios, phocaeos, corinthios et corcyraeos "viam argenti" facientes, naves frumentarias mercatorum atheniensium, dominium tyrannorum syracusanorum praesentiamque Alexandri Magni. Quattuor chartulis geographicis hoc proposito perfectis dilucide patent itinera nautarum graecorum eorumque coloniae atque emporia in Hadriatico litore sita.

**TRAINA, A.** — *Vortit barbare*. Edizioni dell'Ateneo, Roma, 1970. Pag. 236. L. 4000.

Ut ex ipsius Prof. A. Traina praefactione patet, nostra aetate conversio ejusque quaestiones hodiernis mechanicis machinamentis quodam modo videntur obnoxia; tamen conversionem quantum machinali apparatu subiciimus, tantum eam ab humana opera alienamus; idcirco nequaquam supervacaneum est nec terere tempus testimonium revocare illius civitatis vel hominum illorum apud quos interpre-

tandi munus veri artificis aestimabatur. Quod auctoris est propositum decem lucubrations colligendi ab anno 1953 and 1969 conscriptas de uno eodemque argumento: conversione scilicet poetica inde a Livio Andronico usque ad Ciceronem: qua ratione convertendi poetae latini (Livius Andronicus, Naevius, Caecilius Statius, Ennius, Terentius, Cicero) usi sint. Conversio poetarum latinorum multiplici ratione aspectuque ab auctore consideratur; si paucis verbis sententiam Prof. A. Traina lectoribus nostris patetfacere velimus, hanc imaginem "trainianam" rem exprimendi adhibeamus: conversio apud poetas latinos "vitrum est coloratum quod purissima exemplarium graecorum lineamenta ardentibus tingit coloribus". Latini enim poetae, graecos quasi recreando, conversionis artisticae creatores, quod ad occidentalium humanum cultum spectat, jure meritoque exstitisse habendi sunt.

**CORSARO, F.** — *Lactantii De mortibus persecutorum*. Centro di Studi sull'antico cristianesimo, Università di Catania, 1970. Pag. 179.

Primum Prof. F. Corsaro habet praefationem ubi diserte agit de libello qui "De mortibus persecutorum" inscribitur, Lucio Firmiano Lactantio tribuendo, de hujus editionis ratione quae in editionibus superioribus Morean, Brandt et Pesenti innisa est, de praecipuis praeterea codicibus libelli lactantiani (p. 5-10). Quibus pertractatis, indices subsequuntur: I. Libri "De mortibus persecutorum" editiones sive separatim sive una cum ceteris Lactantii operibus vulgatae; II. Interpretationes; III. Commentationes ad textum et grammaticam ratione pertinentes; IV. Commentationes ad Lactantium pertinentes; V. Commentationes ad libellum "De mortibus persecutorum" pertinentes; VI. Commentationes de historiae fide libelli "De mortibus per-

*secutorum*" (p. 11-20). Deinde textus latinus et interpretatio italica, quae ceterum nobis omnino probatur, duabus columnis prostant apparatu critico ad paginae calcem apposito (p. 22-160). Denique opus finitur appendice critica ubi auctor quibus locis de ceterarum editionum lectionibus quale ratione deflexerit ostendit, indice quoque nominum et indice universo (p. 161-176).

DELLA CORTE, F. — *Avviamento allo studio delle littere latine*. Ed. Fratelli Bozzi, Genova, Piazza Meridiana, 2, 1970. Pag. 234. L. 2000.

En opus maximi momenti quo ad litteras latinas ingrediendas aditus appetitur. Est quod tanto opere gaudemus clarissimoque Prof. F. Della Corte maximas habeamus gratias. Ut quadam voluminis notitia frui possint lectores, indicem, quem commentatione exornemus oportet, quamvis obiter primisque labris degustandum afferamus. In scita introductione auctor de quaestionibus didacticis linguae latinae tradendae ac descendae in primis apud Italos, sive ad scholam quam vulgo nuncupant medium, sive ad Lyceum Classicum et Scientificum et Magistrorum Institutum, sive ad cathedralrum petitionem quod attinet. Caput I (*Le principali opere di consultazione*): praecipuis indicibus seu repertoriis bibliographicis, encyclopaediis, libris manualibus, commentariis periodicis, corporibus seu collectionibus textuum agnoscendis destinatur. Caput II (*La trasmissione dei testi*): de textuum traditione, de recensione, de emendatione, de editionibus criticis disseritur. Caput III (*I periodi della filologia classica*): philologia classica in tempora octo dividitur: hellenisticum et romanum, byzantium, monachale et carolingium, humanisticum, francogallicum, hollandicum et anglicum, germanicum, saeculi tandem XX. Caput IV (*La tendenze della odierna filologia classica*);

ubi tractantur stilistica, critica textuialis, interpolatio, analysis metrica, critica semantica, disciplinae structurales: Caput V (*Le discipline sussidiarie*): archaeologiam dicimus, mythologiam, glottologiam. Caput VI (*Le studi sulla lingua latina*): latina agitatur litterarum appellatio et grammatica scientifica; additur quoque parvum vocabulorum linguisticorum lexicon. Caput VII (*La Prosodia*): regulae prosodiae latinae traduntur. Caput VIII (*La Metrica*): elementa doctrinae metricae et bibliographia adhibentur, metrica Horatii Catullique fusius exponitur. Caput IX (*Le storie della Letteratura Latina*): praecipui historici scriptores litterarum latinarum cum operibus recensentur. Caput X (*Orientamento critico sugli scrittori latini*): breves cujusque scriptoris cum praecipuis quaestitionibus et bibliographia notitiae proferuntur inde ab Ennio usque ad Appuleium et a Vulgata ad Augustinum et poetas renascentium litterarum. Caput XI (*Consigli pratici*): non nullae regulae seu principia, quae ad rerum usitatorum usum experientiamque spectant, utiliter exponuntur. Paucis verbis: en opus quod magistris alumnisque scholarum superiorum omnino arridebit.

HAFFTER, H. — *Terenzio e la sua personalità artistica*. Introduzione, traduzione e appendice bibliografica di Dante Nardo. Edizioni dell'Ateneo, Roma, 1969. Pag. 148. L. 2500.

Praecipuum apud germanos philologiae terentianae munus (rationem criticam antlyticam dicimus G. Jachmann, H. Drexler, U. Knoche) in eo fuit ut in primis comoedias Terentii cum exemplaribus graecis conferrent; unde potius intererat exemplaria graeca per opera terentiana restituere quam terentianae artis elementa ejusque ad fingendum facultatem investigare, adeo ut in praejudicatam opinionem incidetur romanos ad propriam poesim

creandam ineptos exstisset. Contra Prof. H. Haffter totis viribus Terentium vindicare contendit, qui novam vim atque momentum dramati romano contulit novisque aspectibus humanis admodum locupletavit. Terentius enim hoc differt a scaenicis scriptoribus graecis quod, dum graeci quandam personae seu naturae humanae formam indistinctam, communem, universam, constitutam producunt, poeta autem latinus singularium hominum seu personarum scaenicarum ingenium exprimit. Opus italice a D. Nardo conversum ad eoque introductione et appendice bibliographica instructum in quinque capita dividitur quorum index: I. *La questione terenziana*; II. *Terenzio e la palliata*; III. *Vita e carriera poetica di Terenzio*; IV. *Elementi terenziani in Terenzio*: a) *L'elemento operistico-musicale*; b) *L'elemento drammatico*; c) *Argumentum*; d) *L'elemento linguistico*; e) *L'uomo e la sua caratterizzazione*; V. *Conclusione*.

WEBSTER, T. B. L. — *The Greek Chorus*. Ed. Methuen et Co. Ltd., London, 1970. Pag. XIV-223. Price 50s net.

Chorus praecipuum vitae graecae aestimabatur elementum multiplice pollebat varietate, nam chorus familiaris in festis domesticis erat et chori quoque erant quinquaginta virorum vel puerorum in festis dionysiacis apud athenienses et chori qui victorias athletarum celebrabant et chori scaenici quibus dramatici vel comoedici scriptores utebantur. Textuum ope et picturarum et narrationum veterum scriptorum historia chori describi facile potest jam inde a temporibus praegraecis quae vulgo dicunt usque ad hellenisticam aetatem. Hoc opere Prof. T.B.L. Webster historiam in primis choreae conscribere nititur, quam hucusque non nihil neglectam habent investigatores; contra auctor hujus voluminis ita describit atque coram producit ut

in amphoris et caelaminibus graecis a sac. VIII ad saec. IV ante Chr. n. exprimuntur; de chori partibus et muneribus Prof. T.B.L. Webster praeterea disserit testimoniis fontium litterariorum fretus; unde momentum metrorum in versibus eminet ad verba, musicam, choream numeris adstringendam, adeo ut saepe, cum exempla in textibus et in picturis exstant, vel numeros ad choream inducere possimus.

EDWARDS, I. E. S. - GADD, C. J. - HAMMOND, N. G. L. — *The Cambridge Ancient History* (2.<sup>a</sup> ed.). Vol. I, Part. 2: Early History of the Middle East. Cambridge at the University Press, 1971. Pag. XIV-1058. Price \$ 23.50.

Meminerint lectores nos superiore Palaestrae Latinae libello n. 215, p. 139 primae partis hujus operis cui est index "Prolegomena and Prehistory" recensionem criticam habuisse; libellum adeant illum, si indolem totius operis ejusque rationem in lucem prodeundi cognoscere velint. Quod in praesentia in nobis est, notitiam hujus secundae partis lectoribus praebeamus. Ut ex indice colligi potest, historia Orientis Medii hoc volumine exaratur jam inde ab anno circiter 3000 usque ad 1750 ante Chr. natum. Non nulla argumenta, quamvis obiter, notemus, quae ab auctoribus eruditissime scitisimeque pertractantur. In Aegypto longinuae aetatis causa qua populi in unum corpus stabile coaluerunt, Antiqui Imperii reges naturae exhauserunt opes divitiasque, ingentes hominum coegerunt catervas, una simul technicis inventis, instrumentis machinisque utentes ad pyramides aedicandas optimosque artifices ad summa artis exempla perficienda concitarunt. Aetate quadam perturbationum civiliumque bellorum exacta, Sexta Regia Progenie quam dicunt ad extremum vergente, proprii Thebarum praefecti Regnum Medium vulgo ad historicis nun-

cupatum constituerunt novamque stabilierunt aetatem in qua tranquillitatis politicae causa artes denuo floruerunt. In Asia Occidentali Babylon caput exstitit praestantissimum et fons cultus atque humanitatis, cuius imperium, quamvis, minime militare, populi circumjecti Anatolia, Syria, Palaestina, Assyria, Elam ultro agnoscentes suscepserunt. Illius regionis historia erudite describitur a prima inde Uruk et Jamdat Nasr aetate usque ad imperium Hammurabi; qua aetate in maximis hominum inventis scripturam notemus oportet; tum praeterea temporis Sargone imperante Semitae inter omnes nationes politice eminere coeperunt. Aetate Aenea ineunte in regionibus Aegaeo mari circumscriptis ingentes hominum migrationes ab Asia Minore ad solis orientis plagas fuerunt. Prospera advenit aetas qua illae regiones sese arctissimis cultus humani commerciique vinculis cum Troja, Creta, Cypro devinxerunt, donec extrema jam Aetate Aenea vehementissimae populos migrationes commoverunt, qui comuni lingua indoeuropea loquebantur; quo factum est ut hujus modi regna gentesque olim florentes fere omnino in historiae tenebris evanescerent.

NAPOLI, M. — *Paestum*. Ed. Istituto Geografico de Agostini, Novara, 1970. Pag. 64. L. 1200.

En parvum volumen quo urbs e remotissimae antiquitatis tenebris quasi revocata in lucem hodiernam assurgit. Manibus nunc opusculum versamus quod sine dubio vel severissimis criticis jure probabitur. Prof. enim M. Napoli Paestum mirum in modum evocat hoc opere, cuius XII primis paginis res ad urbem pertinentes disertissime pertractat, ut ex indice patet: *Tranito e storia. Sulle soglie della storia. La fondazione. L'età aurea. Paestum lucana. Paestum romana. Il tramonto. Pianta*

*di Paestum. La scoperta. Gli scavi.* In pagina XIII index prostat CIV imaginum quae reliquis paginis voluminis continentur variis vividisque coloribus lucibusque impressae quibus mirifice res exornantur. Unaquaeque imago photographica textu adeo ab auctore explanatur et illustratur ut, qui folia opusculi volutaverit, res ipsas ipsasque Paesti reliquias quae supersunt oculis contemplari sibi videatur. Nota praeterea bibliographica apponitur iis in primis qui fusius Paesti monumenta investigare velint. Opus paucis verbis omnino perfectum atque absolutum quod in deliciis legentibus erit.

PASOLI, E. — *Problemi delle "Epistulae ad Caesarem"* sallustiane. Ed R. Patron, Bologna, 1970. Pag. XII-128. L. 2800.

Hoc opusculum *Epistulis ad Caesarem* sallustianis investigandis destinatur; non nullae enim ab auctore quaestiones praincipuae seliguntur disputandae quae in prima operis parte (*Problematica generale sulle Epistulae - Possibili soluzioni*) inveniuntur, cujus in paginis non tantum de sallustiano Epistularum origine seu auctoritate, de operis traditione et indice, de ejus apud antiquos notitia ac divulgatione, de tempore quo exaratae sint, de differentiis quae inter eas intersunt certisque rebus disseritur, verum etiam, quod Prof. E. Pasoli praincipium videtur, de sallustiana in rebus historicis judicandis auctoritate, qua Sallustius acutissimos in omnibus veteribus scriptoribus oculos atollit, cum nemo alias rem politicam illius aetatis ac futurae acriore acumine perspexerit. Primam deinde pars sequitur altera (Su alcuni passi discussi delle Epistule), ubi non nulli quoque loci sallustiani magis ac minus incerti in controversiam vocantur.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

# B I B L I O G R A P H I A

PARATORE, E. — *La Letteratura Latina dell'Età Imperiale*. Nova edizione aggiornata. Ed. Sansoni-Accademia, Firenze, 1969. Pag. 588. L. 1500.

Hoc volumen climi. Prof. H. Paratore summa quaedam videtur rationis ac viae criticae quam ex his tribus scilicet elementis ipse constituit: philologia, historia, analysi litteraria; ita conspectum quasi universum cultus civitatisque latinae, quod ad litteras in primis attinet, dat auctor, qui una simul optimae latinitatis exempla sensui hodiernae aetatis nostrae eo consilio accommodat ut melius agnoscatur quantum in recentibus litteris vigeat cultus romanorum. Quattuor capita, quae quattuor quoque aetatibus litterarum latinarum respondent, opus comprehendit: I. *Aetas Imperialis ProgenieiJuliae et Claudiae*, ubi inter reliquos scriptores fusius tractantur, prout eorum momentum litterarium expostulat, Seneca, Lucanus, Petronius; II. *Aetas Flavii ac Trajani*, cum praecipuis scriptoribus Martiale, Statio, Tacito, Plinio Juniore, Juvenale, Suetonio, qui prae omnibus maximam curam studiumque Prof. H. Paratore in se convertunt; III. *Aetas Antoninorum*, quibus temporibus eruditissimi viri, inter quos poeta Appuleius, eminent; IV. *Aetas Tardioris Imperii*, ubi litterae latinae usque ad Boethium memorantur (p. 7-336). Notandam sane putamus introductiones quibus unaquaque aetas litteraria latina ab auctore illustratur, ut postea scriptores, qui statim insequuntur, rectius in propriis historiae politicae, cultus humani, litterarum adjunctis collocentur atque intellegantur. Cum quemque scriptorem latinum commentatio-

nibus exornat, Prof. H. Paratore omnes illas quaestiones, quae sibi praeципuae videntur, memorat. Quam notitiam scriptorum latinorum annotationes bibliographicae explent, quae in paginis 337-574 constant; ibi per abundans offertur bibliographia in diem accommodata et amplificata cum notitia sive editionum sive lucubrationum praecipuarum. Quod maxima laudi voluminis auctori tribuendum, nam, non tantum hac bibliographia aetates litterarias hoc libro investigandas circumscrabit, verum etiam ad superiora tempora litterarum latinarum producit bibliographiam notitias adhibendo ad historiam latinam universam, ad commentaria periodica, ad criticam textuum, ad disputationes de re metrica vel re universa, aliaque pertinentes jam inde ab originibus litterarum latinarum usque ad aetatem quam caesarianam nuncupamus. Opus prorsus dignum quod lectoribus Palaestrae Latinae cum magistris tum alumnis vehementer commendemus.

GRILLONE, A. — “*Per la fortuna di Virgilio nel mondo greco: lineamenti di una ricerca*” e “*Vetera Christianorum*”.

En duo libelli quorum primus est lucubratiuncula separatim edita e commentariis qui inscribuntur “*Atti dell'Accademia di Scienze Lettere e Arti di Palermo*”, Serie IV-VOL. XXVIII-1967-68. Parte II. Alter libellus cui est index “*Vetera Christianorum*” disputatiuncula etiam est excerpta e commentariis ab “*Istituto di Letteratura Cristiana Antica - Università degli Suti*” Bari, anno 8 (1971), fasc. 1., pag. 49-54.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

# Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

## EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

---

JIMÉNEZ, <i>Repetitorium</i> ...	ptis.	70
» <i>De Orthographia latina</i> (altera editio).	»	20
PLANQUE-PLANAS, <i>Gramática Griega</i> (altera editio).	»	100
«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI		
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.).	ptis.	12
» <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ...	»	12
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i> ...	»	12
MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.) ....	»	14
JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ...	»	12
» <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.) ...	»	12
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i> ...	»	12
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.) ...	»	16
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.) ...	»	12
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i> ...	»	10
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i> ...	»	14
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I) ...	»	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i> ...	»	12

---

## Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, neenon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissae:

- 173 Tàcit - Annals (vol. V) Llibres XIV - XV
- 174 Tucídides - Història de la guerra del Peloponès (vol. V)
- 175 Herodes - Mimiambs
- 176 Tàcit - Annals (vol. VI) Llibre XVI
- 177 Aristòfanes - Comèdies (vol. II)

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA